23
212



23
212


x
S-1-3st ... and [A8]
conjugate. CKF M&J



VLYSSES REDVX

Tragoedia Nova.

IN AEDE CHRISTI OXONIAE
*PUBLICE ACADEMICIS RE-
CITATA, OCTAVO IDVS*
FEBRVARII. 1591.



OXONIAE, excudebat IOSEPHVS BAR-
NESIVS, M. D. LXXXXII.

L.Ll: G.4 / 6.
105
59892

NOBILISSIMAE AC DOCTISſimę Heroinę, Dominę Marię Penbrochię *Comitiſſæ.* S.

NIMIS inverecundè facio, illuſtriſſima Domina, qui tibi, ne de facie, vix de nomine, cognitus, literis tamen meis Celſitudinem tuā interpello. Sed pudorem meum ſubleuabit primùm benignitas tua, quæ ab omnibus qui Muſas amant, ita paſſim celebratur, vt me ad hanc audaciam, vel fama ipſa pertraxerit; deinde amor quidam meus, quo, non ſolùm laudatiſſimū, nūquamq; ſatis laudatum fratrem tuum Philippum Sidneium, vivum, mortuumq; proſecutus ſum, ſed totam etiam Sidneiorum gentem, ſemper colui, omniq; honore digniſſimam ſemper iudicaui. Poſtremò, factum meum excuſabit doctiſſimus Caſæus tuus, qui partim ſermones nuper de me tuos referendo, partim ſingularem animi tui candorem erga omnes prædicando, tandem pellexit, vt aliquâ tibi honeſtâ ratione innoteſcerem. nulla autem via occurrebat honeſtior, quàm hæc literaria, ac præſertim poetica.

Non

Nō quòd ego aut poeta ſim, aut haberi cupiam, (quî enim ſperare id auſim?) ſed quia intelligerē, nullo me tibi alio officio commendatiorem gratioremq; venire vnquam poſſe. Quo nomine, & multum Serenitati tuę debent Poetę noſtri, quorum ingenia ac facultatem tam impenſè foues, & tu longe optatiſsimam tibi mercedem reportabis, nempe gloriam; ſine quâ, quid tibi videri poteſt magnopere in vita expetendum? Nam aliarum tibi rerum omnium copia, abundè præſtò eſt; gloriæ, nec tibi, nec cuiquam hominum, ſatis vnquam fuit. Cuius quidem cupiditas, vt nō niſi maximis animis, optimiſque ingeniis innata eſt; ita nullo magis argumento declaratur, quàm amore erga eos, quorum carminibus immortalitatem ſe nominis ſui conſecuturos arbitrantur. Nam cùm optimè faciant, optimè etiam apud poſteros audire cupiunt. Quocircà Vlyſſes hic meus (quo nemo vnquam poëtis plus debuit) in cuius ſe potiùs clientelam recipiat, cùm ab Vlyſſe ac Cancellario noſtro, illuſtriſſimo Buckhurſtio diſceſſerit, quàm in tuam? ſed vt quædam picturæ non niſi opaco lumine probantur, aut vt ipſæ veſtes ſcenicæ, nocturno magis tędarum ſplendore, quàm interdiu placēt; ita vereor ne Vlyſſes meus, geſtu, voce, omnique apparatu tragico, quaſi lucernarum fuco deſtitutus, non modò pręſtantem ingenii iudiciique tui lucem, ſed ne pręcellentem oculorum tuorū, pulchritudiniſque tantę fulgorem ſuſtinere valeat. Quare peto a te, Nobiliſsima Comitiſſa, vt Vlyſsi, non in Ithacam, ſed in ſcenam iam primum

primum

mum venienti, tanquam altera Penelope, ſaltem manum tuam exoſculandam porrigere digneris. Quod te prętituram, plane confido. Pro quâ tantâ humanitate tuâ, quid ego tibi maius precari queam, quàm vt aliquis Homerus exoriatur, cuius pulcherrimo poemate, pari cum Penelope gloriâ, ęternitati commenderis. Molliorem tibi fortunam opto, famam certe illuſtriorem optare non poſſum. Vale. Ex Æde Chriſti Oxoniæ, ſexto Idus Maij. 1592.

Amplitudinis tuæ ſtudioſiſſimus

GVILIELMVS GAGERVS.

THOMAE HOLLANDI THEO: D. ac Profeſſoris Regii, Collegiiq; Exonienſis Rectoris, in D. Gageri Ulyſſem Reducem, Hexaſtichon.

INcolumem Troiâ rediiſſe πολύτροπον ἄνδρα
Vidit, & agnouit filius, uxor, anus.
Luxurioſa cohors cecidit tranſfixa ſagittis,
Ancillas, laqueo, te domat, Ire, manu.
Hæc tua cùm tragico ceciniſſet Muſa cothurno,
Plaudite ter Vati noſtra Theatra dabant.

Del. S. Alberico Gentile.

RAcchiuſe in giro anguſto,
I gran caſi di Troia, e gl' alti danni
Stil de ſcrittore induſtre.
Pittor canoro illuſtre,
Tu accogli in poca ſcena i longhi affanni
Del ſaggio Vlyſſe anguſto.
Cede a te l' altro in tanto,
Che cede opra di mano a dolce canto.

Richardus Edes The: D. Ædiſque Chriſti Præbendarius.

SIC dedit erranti comitem ſe Pallas Vlyſſi,
Et reduci in patriam, per mala multa, ducem:
Vt qui materiam ſcribendi eſt nactus Vlyſſem,
Huic, non inuitâ Pallade, Muſa fluat.
Scilicet, hoc cæci cerebrum illuſtrauit Homeri,
Quòd Pallas viuam prætulit ipſa facem.
Nec tamen in magno ſe ſic effudit Homero,

Nob

Nolit ut ad tragicos illa venire modos.
Ecce ſuum Pallas ſemper comitatur Vlyſſem,
Aut hoc, aut illo, dum redit ille, pede.

Henricus Buſt Medi, D.

DEſine Penelopè, funebrem ponere telam
Nunc licet, & fictis abſtinuiſſe moris.
Ecce tuus rediit, Reducem ſpectauimus ipſi,
Lentus adeſt, tibi ne ſcriberet, ipſe venit.
Quàm tibi gratus erit non poſſum ſcribere, nobis
Hoc verè poſſum ſcribere, gratus erat.

Matthæus Guinne Ioannenſis.

VLyſſi Homerus præco prudenti optimus,
Homero Vlyſſes optima canenti ſeges:
Penelope Homeri verſibus formam dedit,
Penelopæ Homerus verſibus famam dedit.
Fert laudem Homerus, Penelope, Vlyſſes, tibi.
Illis, Gagere, tu remetiris parem.
Homeri, Homere, perge fælici impetu.

Richardus Late-warr Ioannenſis.

GRæcus cæcus erat, nunc eſt oculatus Homerus,
Lumina cui Latij clara dedere modi.

Franciſcus Sidneius AEdis Chriſti.

ACtor Vlyſſis ego, Reducis tu ſcriptor Vlyſſis;
O ſi noſtra tua palma ſecunda foret!
Ille quidem rediit, tam gratus, ut ardua lis ſit,
Gratior in Scenam vênerit, an Patriam.

Ioan-

Iohannes Hoſchines.

IBis, Homere, foras, venias ſi nudus, Homere,
Spernit inornatum Scena ſuperba ſenem.
Texuit auratum tua Muſa, Gagere, cothurnum,
Credo equidem iam non ibis, Homere, foras.

Cùm iam cicutam Socrates hauſtu vltimo
Sumpturus eſſet, lætiùs mortem tulit,
Campis quod Ithacum mox in Elyſijs Ducem
Videret; atqui Socrates iam viueret,
Campiſq; vellet credo ab Elyſijs gradum
Referre, vt Ithacum videat in Scenâ Ducem.

Gulielmus Ballowe. AEdis Chriſti.

IN Scenam veniat, Patriamue reuiſat Vlyſſes,
Penelopæ gratum Patria, Scena, dedit.

Iacobus Weſtonus AEdis Chriſti.

TElemacho gemino veniſti gratus, Vlyſſe,
Telemacho vero, Telemachoq; mihi.
Illum Penelope peperit tibi, me tibi Scena,
Ille eſt Naturæ filius, Artis ego.
Sic tamen vt lis ſit, natura an vicerit artem,
An mihi Telemachus cedat amore tuus.

Authoris ad Zoilum.

ZOile, parce precor, non eſt hic Graius Homerus,
Non eſt hîc totus, ſed neq; dimidius.

Pars

Pars eſt, & tragico, & Latio male cincta cothurno;
An talem poteris noſcere Mæonidem?
Saltem Penelopæ, ſaltem parcatur Vlyſsi,
Quorum iam famæ Scena Latina fauet.
In talem ſæuire paras? age, mitto precari,
Fortaſſe & talem, Zoile, nobilites.

Ad Criticum.

QVorſum, inquis, epiſtola? an nos concione etiam aliquâ enecabis? parumne tibi præſtatur, ſi verſus tui legantur? cuius patientię erit, præfationem quoq; tolerare? ecquando ad carmina tandem ipſa licebit peruenire? quid porro hic dicturus es, quod non in Prologo tuo dixiſti, aut ſaltem in Epilogo dicere potuiſti? Recte tu quidem iſta, Critice, ſi ſcriberem Epigrammata; quibus epiſtolari operâ nõ eſt opus, quia in quacunq; paginâ viſum eſt, epiſtolam facere ſolent. at Tragędis, quibus pro ſe loqui nõ licet, pręfari ſemper permiſſum fuit, & ego Tragędiã ſcribo. Imò, non eſt, inquis, hęc Tragędia. Quid ita, Critice? quia, inquis, & materiæ quadam mendicitate peccat, dictioneq; plerumq; comicâ eſt; & riſum in Iro mouet, quod in Tragædia nefas eſt, atq; adeò piaculum; & vere tragico affectu vacat, (quis enim aut Procorum, id eſt hominum improborum interitu ſuſpiret, aut meretricularum ſuſpendio illachrymetur?) poſtremò, quia lętum habet exitum. Profecto ipſum te eſſe Criticũ oportet, ita es ingenioſè maledicus. & quidem haud ſcio an vera iſta ſint; fortaſſe non multùm abſunt

a veris. Sed tamen libet ire contra. Ac primùm tibi illa Horatiana respondeo,

Et tragicus plerumq; dolet ſermone pedeſtri,
Telephus & Pelêus cùm pauper & exul vterq;
Proijcit ampullas, & ſeſquipedalia verba.

Mihi verò quoad licuit, Homeri veſtigiis inſiſtere, nunquamq; a boni ſenis quaſi latere diſcedere, religio fuit. Quis enim a tanto Vate vel latum vnguem libenter abiret? aut quis meliora ſe, ac grandiora confidat allaturum? vt, qui materiæ, dictioniſq; humilitatem carpit, non me, ſed Homerum ipſum, id eſt principem, Ideam, ac Deum poetarum reprehendat; eum verò qui vituperat, Zoilum eſſe neceſſe ſit. Porrò in Cyclope, Euripides, Silenum, Satyros, ipſumq; Polyphemum ridiculè garrientes, & Seneca Thyeſten non nimis ſanè ſobrium inducit. Quid verò illa Sophoclis Cignea cantio Oedipus Colonæus, quam centeſimū prope agens animum ſcripſit, quamq; antiquitas tātopere admirata eſt? quid, inquam, ea magnopere luctuoſum habet, præter placidam & maturam Oedipodis iam ſenio confecti, mortem? Electrę verò quod aliud eſt argumentum, quàm Clytemneſtræ nequiſſimæ fœminæ, AEgiſtiq; adulteri, iuſtiſsima cædes? Eiuſdem deniq; Philoctetes, & Senecę Hercules Oeteus, in quam aliam cataſtrophen, niſi lætam deſinunt? Quid ego hic tot Euripidis tragędias commemorem? quarum fere nulla eſt, quę non in omnem iſtam reprehenſionem incurrat. Magnis ego me & authoribus & argumentis poſſem defendere; ſed emoriar ſi amem lites, ſaltem criticas, id eſt futiles, id eſt tuas, Criti-

cc.

ce. Nam vt viuendi, ſic etiam ſcribendi ratio mihi inprimis probatur ea, quæ eſt paulò liberior ac pene diſſolutior, quæq; non tam doctiſsimis, quàm imperitis placeat. quid enim putidius quã quod tu facere ſoles, in eo peccare, quia nihil peccare diſcrutiamur? Equidem ego hanc ſiue tragędiã, ſiue fabulam, ſiue narrationem hiſtoricam, ſiue quicquid eam dici ius faſq; eſt, non ad exquiſitã artis poeticæ tanquam aurificis ſtatêram, ſed ad popularis iudicii trutinam exigendam propoſui, & effudi potiús quám ſcripſi: in quâ minùs ingenio laborandum fuit, in cuius locum dimidię penè Odyſſeæ argumentum ſuccedit; quo in digerendo, non tã acumine, quàm delectu, nec tã copiâ, quam modo opus habui. At qui vt ipſe arrogans ſim, ſi cuiquam hęc mortalium minùs quám mihi placeret; ita tu improbè facis, qui in alieno libello nimis es ingenioſus. At quid tibi, inquis, omnino eſt cũ Tragædia? quid tibi cum Homero, ac non potiùs cum Bartolo negotii eſt? cui bono eſt, ſi apud te vel Vlyſſes diſertè, vel caſtè loquatur Penelope? Iam parce, quæſo; iã puto mehercle verum dicis, Critice. ne viuam ſi vlteriús reſpondere auſim. Quare beneuolus lector debebit tuæ, id eſt malæ linguæ, quòd defenſionem meditatus longiſsimam, epiſtolã cum prolixiore non defatigem. Vale.

Perſonæ.

Prologus,
Vlyſſes.
Minerua.
Eumæus.
Telemachus.
Chorus Ithacenſiū.
Melanthius.
Antinous.
Eurymachus.
Amphinomus.
Agelaus.
Piſander.
Eurydamas.
Polybus.
Euryades.
Cteſippus.
Liocritus.
Procorum Turba.
Phemius muſicus.
Irus mendicus.
Penelope.
Euryclea.
Autonoe.
Eurinome.
Hippodamia.
Melantho.
Philætius.
Theoclymenus
Medon. (vates.
Epilogus.

Vlyſſes Redux.

Tragœdia noua.

Prologus ad Academicos.

Diuine vates, Græciæ miraculum,
Homere primum, cuius ingenij iubar
Orbi refulgens, tam ſine exemplo editum,
Illuminauit & homines ſimul & Deos,
Qui carminum fulgore nobilium inclyto,
Meritam abſtuliſti vatibus laurum omnibus,
Quot ante fuerint, quotue ſunt, vel poſt erũt,
Inuentor operis, atq; perfector tui,
Imitatus ipſe neminem, aut imitabilis,
Vt a parentis qui putet cæcum vbere,
Animi ſit oculis ille magis orbus ſui;
Æterna maneat gloria in terris tibi,
Et alta ſemper oſſibus pax ſit tuis,
Vbicunq; iaceant illa; qui mortalibus
Mortalitatem demis, & tumulo evocans
Diu ſepultos, viuere facis mortuos;
Haurire cyathum fonte nos largo ſine,
Plenoq; granum carpere minutum horreo;
Permitte tædâ accendere lucernam tuâ,
Inopemq; tanto facere de templo caſam.
Dignetur humilem tanta maieſtas tua
Induere ſoccum, teq;, ceu teſtâ nucis,
Tuoſq; verſius, patere compingi precor.
Huc vſq; noſtra maximo pietas viro
Indulſit. ad vos, proximum votum, Chorus
Afferre iuſſit noſter, atq; humiles preces
Adhibere me rogavit, vt faciles noua

Dignemini aures fabulæ, atq; animos dare.
Nil audietis grande, nil Sophoclis ſtilo,
Senecané ſcriptum, quippe iam fractus mari,
Terráq; Vlyſſes, ponit ampullas miſer,
Nec in cothurnis ambulat, mendiculus,
Senexq; factus, ſed propê pedeſtri dolens
Sermone, ſocco pauper incedit leui.
Attentionem tota res acrem exigit,
Quia tota filo pendet hiſtorico magis,
Rebuſq; geſtis, quàm graui affectu altiùs
Exaggerato. fabulæ ſummam eloqui
Non eſt neceſſe, quem fugere veſtrum poteſt
Redux Vlyſſes? ille poſt annos decem
Bis iam peractos, poſt datum cineri Ilium,
Longoſq; pelagi poſt tot errores, modó
Deductus aulâ Regis Alcinoi hoſpitis,
Socijs ſuperſtes, patrij ignarus ſoli,
Somno ſepultus, naue Phaácum vnicâ,
Silentio Phorcynis ad portum appulit,
Senis marini deuiũ, & turbâ procul.
En dormientem nautica expoſuit cohors.
Quæſo reuerſum excipite quo par eſt modo.
Sed iam tacete, donec extinctis procis,
Caſtam recepit coniugem, & regni decus.
Laboris huius ecce mercedem, vnicum
Silentium præſtare vos omnes rogat,
Qui dulce veſtrum commodo præfert ſuo.

ILLVS-

ACTVS PRIMVS.

Vlyſſes ſolus.

ETiamné ſolus? turba vbi eſtis nautica?
Adeſte comites. nemo reſpondet? quid hoc?
Heus, ecquis audit? quod facinus iſtud putem?
Iam quid ſit iſtud neſcio, & metuo omnia.
Quænam iſta mundi regio? quæ terræ plaga?
Eheu miſer, ſors dura me ſemper premit,
Cui terra pelagus, error errorem excipit.
Sed quid? libenter nónne me Alcinous, modó
Dimiſit auſâ? non ratem, & nautas dedit?
Non nauigaui? non vigilo? non eloquor?
Nunc ecce, ſi ſis ille Laerte ſatus,
Ithacæq; dominus, advoca ingenium vetus,
Et totum Vlyſſem, callidos qui tot dolos
Sæpe eruiſti, fraudis hunc nodum expedi.
Nunc ergo, quis me poſuit hoc in littore?
Nauta profectò; quo modo? forſan quies,
Dum vicit artus. quis tamen tantus ſopor,
Membra religaret, ipſe vt interea nihil
Sentirem? at iſtic ſolus, ac ſomno obrutus
Cur ſum relictus? ecquid ad ludibrium?
Sic eſt; profundum cur vel aliôqui in mare
Non expuliſſent? fraude Phæâcum improbâ,
Deceptus erro. Sed mihi Alcinous, meam
Promiſit Ithacam, perfidi nautæ tamen,
Huc appulerunt. quod tero pedibus ſolum?
Quænam iſta gens eſt? quod hominum hîc degit genus?
Ferum, an hoſpitale? barbarum, an Superos colens?
Iamq; ipſe dubios quó meos greſſus feram?
Sed ecce Nympham credo conſpexi, alloquar.

Alcinous Phæâcum Rex, Vlyſſem naufragum hoſpitio exceptum, Ithacamq; redire cupientem, benignè dimittit, ratem nautaſq; præbens. Phæacum ergo naue ad Diui Phorcynis portum Ithacenſem tacitè appulſâ, nautæ Vlyſſem dormientem efferunt, ſtraguloque priùs corpori, puluillisque capiti ſubſtratis, in littore deponunt, ſagoq; ſuperiniecto, ſepultum adhuc ſomno deſerunt. Vlyſſes Prologo finito quaſi experrectus, infit.

Vlyſ-

Vlyſſes. Minerua.

Seu Nympha, ſeu tu numen es, ſalue Dea;
Ne mihi maligno quaſo ſis animo obuia;
Incidere quando in te mihi primam obtigit,
Hac fare qua ſit terra, qui terram incola
Habitent, & iſta continens ſit, an inſula.
Min. Certè neceſſe eſt, Hoſpes, hinc peregrè tibi
Veniſſe, cùi non iſta nota eſt inſula,
Utriq; Phabo clara. qua licet aſperis,
Affixa pendet, niduli inſtar, ſaxulis,
Minuſq; alendis apta ſit tellus equis,
At illa vino eſt, atq; frumento vtilis.
Hìc ſemper imbres, roſq; perpetuò virens,
Et nata bûbus paſcua, capriſq; inclyta.
Omnimoda ſylua ſuppetit, & aruis aqua
Semper rigandis. fama propterea inſula,
Ithacaq; clarum nomen, ad Troiam quoque
Penetrauit vſq;, quam ſitã hinc longè ferunt.
Vly. Hac ergo terra eſt Ithaca? praclara inſula
Audiſſe, memini, multa me in Cretá bona.
Et ipſe bello multa Troiano tuli.
Sed Creta, patria eſt, nuper vbi (quod iã licet,
Tutó fateri) nobilem occìdi virum,
Quód ille pradam raperet iniuſtè meam.
Proinde trepida naue Phanicum fuga
Iam praparatâ, ſeu Pylum, ſiue Elidem,
Me ducerent rogaui; at ingens vndiq;
Exorta tempeſtas, ad hanc appellere
Coëgit oram. dumq; me dulcis ſopor,
Littore iacentem, nocte iam multâ tenet,

Viaq;

Viaq́; feſſum, vela dant illi Notis;
Exinde ſolus littore erraui miſer.
Min. *Sanè eſſe Creta patria tibi tellus poteſt,*
Ita mentiendi fraude Cretenſem refers,
Aſtutiarum ſemper ingenuus faber.
O verſipellis! o doli ac fraudum artifex!
Nimis eſſe oportet callidum, te qui artibus
Praetereat iſtis, ſit licet is aliquis Deûm.
Et quid Mineruam iam tibi planè excidi,
Facunde Vlyſſe, quae tua, & terrâ, & mari,
Patrona vitae ſemper, ac famae fui?
Vly. *Ignoſce prudens, & potens armis Dea,*
Quod fugiat oculos tanta maieſtas meos.
Nec te videre licuit, ex quo Pergamum
Diruimus altum; voſq́; mortalem, Dea
Hebetatis aciem, cùm libuit, & cùm libet
Aperitis iterum; teq́; conuertis ſtatim
Formas in omnes. me tibi, Diua, omnia
Debere fateor, nulla me oblitum tui
Arguerit vnquam, nulla non gratum dies.
Sed te per omnes, & tuum numen, Deos
Effare quaeſo, num ſit hac Ithaca inſula.
Subuereor etenim ne ſit hoc dictum iocò,
Vt meq́; fallas, teq́; delectes dolo.
Min. *Vt ſempèr animus decipi aſtutus timet!*
Confide Vlyſſe, nam tibi, teſtor Iouem,
Temereq́; nulli impune iurandam Styga,
Calcare patrium te pedibus Ithacae ſolum.
Vly. *Dilecta ſalue terra; nec enim iam queo*
Me continere, quin tuum gremiũ oſculer.
O chara tellus! cuius aſpectum Deos
Toties rogaui, cuius & fumum, mea

 AEterni-

Æternitati prætulit ſæpe optio.
Quod ſubeat oculos gratius viſum meos?
Tui videndi nulla ſpes miſero fuit,
Tamen, ecce, video. quid homini ſit dulcius
Tactu ſoli natalis, & Dijs patrijs,
Cæloq; noto, quo nimis caruit diu?
Saluete Nymphæ Naïdes, vos hunc mihi
Reditum velitis eſſe felicem precor.
Mox ſolita vobis offeram dona, interim
Gaudete votis, ac precibus. at tu, Dea,
Dic quæſo, qui me nautica expoſuit cohors
Nil ſentientem, & littore iacentem vago
Cur me reliquit, naue ſubductâ ociùs?
Min. *Dũ tu relicta Regis Alcinoi domo*
Iam nauigares, media ſulcanti freta,
Alto caput ſopore perfudi tuum,
Senſuſq́;, & oculos obrui ſomno graues,
Nautiſq; ſuaſi facere, quod factum arguis.
Deſerere iuſſi; nam tibi in fatis fuit
Occultus iſte reditus in patriam tuus.
Phorcynis hic eſt portus æquorei ſenis,
At ipſa memet in viam primùm dedi,
Incideret in te fortè ne quiſquam obuius,
Capitiſq; adires triſte diſcrimen tui.
Nam quot Zacinthus, quotq; Dulichium, & Samos,
Et Ithaca, iuuenes nobili ſtirpe educant,
Tot ambierunt coniugis thalamum tuæ,
Proci impudentes, remq́; vaſtarunt domi,
Tres iam per annos. illa ſpe vnâ procos
Ludit, tuumq́; miſera conſpectum expetit.
Proinde moneo, veſte mendici latens
Domum reuertas. ecce veſtitum meâ

Operâ paratum. quid pudet? miſer induo.
Nec turpe credas, ſors quod extrema imperat.
Redimere fas eſt quolibet vitam modo.
Vly. O triſte fatum, ſorſq; crudelis mea!
Manebit, eheu, me domi Atridæ exitus,
Niſi tu prohibeas, Diua; tu præſtes opem,
Solitumq; robur pectori inſpires meo,
Animumq́; reddas, qualis in Troia fuit
Olim eruenda, ſolus haud metuam aggredi
Iuuante te, Minerua, ter centum procos.
Min. Ego ſemper adero; namq́; me miſeret tui
Tam dura paſſi, tamq; prudentis viri.
Ferendo vinces; patere, viciſti procos.
Vly. Patientia eſt miſeria rumoris boni,
Miſeranda virtus, laude quam cuncti efferunt,
Nemo lubens exercet. Min. hæc virtus tamen
Miſeranda, gladius, quæ nequit, multa efficit.
Præclara res eſt perdere inimicum dolo.
Vly. At metuo, tutus veſte ne lacerâ tegar;
Ex ore prodar. Min. ne metue, nam te omnibus
Reddam videri corpore, & vultu ſenem.
Confide, pœnas mox tibi ſoluent proci,
Menſamq́; cerebro, & ſanguine inficient tuam.
Tibi ſunt videnda multa, quæ nolis, domi,
Toleranda multa; perfer, obdura tamen,
Animumq́; Vlyſſis aduoca; melius domi
Ignotus erres. familiæ quæ ſit fides,
Quæ facta videas, qui tuum reditum expetant,
Quiq; execrentur; pectori triſtem excute
Curam futuri; fata præſtabunt viam.
Permitte Diuis cætera; actutum tibi
Eumæus aderit, aderit actutum tibi

 Telema-

Telemachus ipſe. res erit cura hæc mihi.
Nuſquam abero, cuncta ſuggerã ſemper tuæ
Agenda menti. iamq; te cuſtos haræ
Diſpâret. *Excipiet, ecce foribus is greſſum extulit.*

Vlyſſes. Eumæus.

Dij ſint benigni familiæ ſemper tuæ,
Tibiq;, coniugiq;, natiſq; optimis,
Placidéq; vitam ſemper in patriâ exigas;
At tu mei miſerere, qui vitæ bonis
Multos per annos, his miſer carui omnibus
Eu. *Miſerum eſſe oportet quiſquis es, lare qui diu*
Errans auito, patriâ inuitus cares.
Iamq; ecce vulnus voce renovatum tuâ
Mittit recentem ſanguinem. cuius dolor,
Nullâ coïbit in cicatricem manu.
Habeo ipſe dominum, quid habeo, dixi miſer?
Ah veréor habui, nunc an habeam neſcio.
Regum ille Regi factus Atridæ comes,
Facinora bello multa Troiano edidit.
Vnde rediturus, aut mari extinctus iacet,
Aut iam per vrbes errat externas miſer.
Diſperdat Helenam ſtirpe cum tota Deus,
Quæ tam cruentam tot viris cladem intulit,
Et tam benignũ, dira, mihi dominũ abſtulit.
Sed enim domo te iam meâ, duco nefas,
Arcere, ne ſi vilior multò fores.
Nam pauperes, & hoſpites ſunt à Ioue.
Sed tenue noſtrum munus eſt, gratum tamẽ;
Frugi eſſe ſeruum, iuuene hero, ſemper decet.
Vly. *Tibi rependant gratiam Superi parem.*

Sed dic, amice, quis fuerit herus is tuus,
Si fortè talem viderim, aut cognouerim.
Nam multa vidi, multa peragraui loca.
Eu. Heu nemo vênit gente tã peregrè exterâ,
Qui nunciaret ſe meum verè vſpiam
Vidiſſe dominum, ſed quidem multi, fames
Quos dura ventris adigit, vt captent cibos,
Affingere aliquid ſæpe, quod placeat, ſolent.
Quibus libenter domina Penelope fauet,
Auideq; ſigna quærit, & quaſi nuntio
Commota vero, lachrymas fundit viro,
Et mentientes chlamyde vel tunicâ induit.
Dum vereor ille infletus, inhumatus, iacet.
Tu forſan aliquid afferas mendacij,
Vt ſimile egenti præmium captes tibi.
Interea Vlyſſes occidit; qui ſeu canes
Volucreſq; pauit, ſeu vago piſces freto,
Illi alba forſan oſſa ſternuntur procul
Miſerè inſepulta. quẽ quidẽ extinctũ licet,
Vel nominare vereor, inſtar numinis
Ego cuius, Hoſpes, nomen in terris colo,
Colamq; ſemper; qui mihi vxorem dedit,
Domumq;, & agros, meq; præpoſuit ſuum,
Haraq; gregibus. quos mali vaſtant proci
Dominã ambientes. Sed mihi tantũ abſtulit
Iam morte, quantum vita felici dedit.
Vly. Vlyſſem, amice, quando venturum negas,
Omniſq; reditus ſpes tibi plane excidit,
Audi quid ipſe, non ioco narrem tibi,
Sed iureiurando fidem aſtringens meam.
Exoſa Ditis non mihi porta eſt magis,
Quàm pauper animi ſubdoli, & lingua vafra

Nec quæro læti nuntij donum, prius
Quàm vera verbis facta reſpondent meis.
Ergo Deorum Iuppiter, & hominum ſator,
Tuaq; hoſpitalis dextra quã tãgo, & domus
Vlyſſis ipſa, quam peto, teſtes mihi
Eſtote quæſo, me nihil falſi eloqui.
Vidi ipſe Vlyſſem naue rediturum breuì;
Hoc anno Vlyſſes veniet, hoc inquam tibi
In fine menſis aderit, & repetet domum,
Prociſq; meritum quæret exitium improbis.
Eu. *Ah deſine, Hoſpes, gratiã mendacio*
Noſtram aucupari. nemo propterea mihi
Acceptior erit; quin decet miſerum, Deos
Potiùs vereri. nemo mihi perſuaſerit,
Poſt ſpatia tam longinqua, tot vota irrita,
Rediturum Vlyſſem. cuius ad nomen ſacrũ,
Lachrymas tenere nequeo, tam cauſa viri,
Quàm iuuenis etiam filij, qui ramuli
Florentis inſtar creuit, & creſcat, mea
Et vota ſuperet; iamq; nec celſa indole,
Nec oris habitu, aut viribus, cedit patri,
Meliore fato, vincat & patrem, precor.
Et ecce nobis Telemachus effert gradum.

Telemachus. Eumęus. Vlyſſes.

EVmæe ſalue. Eu. *ſydus ô ſalue meum*
Telemache dulcis. cauſa iam quæ te extulit
Ad rura noſtra. Te. *non alia, quàm quæ ſolet*
Eumæe, noſti quem mihi ſtomachum facit
Hominum impudentum faſtus, & furor inſolens.
Qui peſtis inſtar regiam perdunt domum,

Luxu, choreis, ſcelere, dapibuſq; impijs.
Huc me proinde contuli, vt ſine maximo
Quibus intereſſe pectoris gemitu haud queam,
Abſentiâ oculos alleuem ſaltem meos.
Quos iam reliqui more viuentes ſuo,
Tumultuantes, atq; ſaltantes domi.
Vly. *Generoſe iuuenis, quæſo digneris quoq;*
Noſtram ſalutem accipere, ſi fortè alteri
Quâ careo, tribuam. Te. *quiſquis es, grata eſt ſalus*
Tua iſta nobis, Dij tibi dent, quâ cares.
Eumæe, quis homo eſt iſte tam nimium miſer?
Eu. *Iſte profitetur varia ſe erronem loca*
Peragraſſe, Vlyſſem noſſe, quem iurat breuì
Hîc affuturum, ſi libeat huic credere.
Tu pariter hominem, vel animi causâ, velim *Exit Eumæus.*
Telemache tentes, dum domi cuncta apparo.

Telemachus. Vlyſſes. Minerua.

SVſpectus omnis, tempore ex illo mihi,
Vanuſq; planè nuntius ſemper fuit,
Quo, neſcio quis, me vir AEtolus, fide
Ludens inani, retulit in Creta procul,
Se certe Vlyſſem, nempe reparantem rates
Vidiſſe, & illâ æſtate, vel ſaltem exitu
Anni affuturum; exinde nobis tertius
Effluxit annus, nec tamen redijt miſer,
Nec vlla nobis ſpes reuerſurum manet.
Vly. *Difficile fuerit ergo, tibi reditus fidem*
Facere. ſed ecce, me quia alloquio tuo
Dignaris, etiam audebo, quis fuerit tuus
Pater, rogare. Tel. *filium certè decet*
Eſſe ſapientem, qui ſuum nouit patrem.

At miſera genitrix noſtra Penelope, ſatum
Vlyſſe dicit; at ego ſanè id neſcio.
Vtinam beato patre prognatus forem,
Qui cum unigenito filio, & charâ ſimul
Vxore proprio ſpontè ſenuiſſet lare.
Nunc filium eius eſſe me dicunt patris,
Quo nemo viuit miſerior mortalium.
Vly. *Quicunq; genitor fuerit, haud ignobili*
Genere videris, matre Penelope editus.
Sed ecce, quid ſi iam tibi iurem, affore
Hoc anno Vlyſſem? Tel. *nulla erit dicto fides.*
Vly. *Hoc mēſe quid ſi dixerim?* Tel. *tantò minùs.*
Vly. *Quid ſi eſſe in Ithacâ?* Tel. *crederē mēdaciū.*
Vly. *Quid ſi eſſe coràm?* Tel. *dicerem dictum ioco.*
Vly. *Quid ſi me Vlyſſem, quem vides, eſſe aſſeram?*
Tel. *Furere putarem.* Vly. *ſed tibi iuro tamen,*
Iouemq; teſtor, me quidem excepto, alterum
Nunquam affuturum, Telemache, patrem tibi.
Tel. *Opinor equidem; nempe mihi nunquam pater*
Redibit. Vly. *atqui is, Telemache, rediit tibi,*
Coràmque loquitur, & tuum amplexum expetit.
Tel. *Abſiſte, non es tu quidem genitor meus.*
Ne tu recèns periculo ereptus graui,
Tibi excidiſti. Vly. *quò miſer me conferam?*
Adſis Minerua quæſo, & hunc nodū explica.
Min. *En adſum Vlyſſe, tuq; Telemache, inclytū*
Agnoſce patrem, tolle dubitandi moras.
Illa ego Minerua, quæ tibi dux, & comes,
Cum nauigares Elidem, ſimul ac Pylum,
Et cum redires, Mentoris ſpecie fui,
Aſſertor adſum patris, atq; author tui.
Nec ille pannis ſordeat laceris tibi.

Vlyſſes Redux.

Induitur iſtâ veſte, ne forté agnitus, Diſparet.
Mactanda diris victima rediret procis.
Tel. *Nobiſné tandem chare veniſti pater?*
Tuné ille Vlyſſes, qui tot armorum inclyta
Facinora Troiæ, totq; conſilij dedit?
Vly. *Dulciſſime puer, tuné Telemachus meus,*
Ithacâ profectus, quem domi liqui meæ
Iam vagientem? quemq; Palamedes meo
Subijcere aratro voluit? agnoſco indolem
Parente dignam. ſummoperè mihi gratulor
Genuiſſe talem. tené iam video virum
Telemache? tené iam virum video? ah pudet,
Iam fari Vlyſſes nequeo, iam vocem abſtulit
Vis lachrymarum. quám potens in nos tuum
Natura regnum eſt? ſit tamen flendi modus
Telemache, nobis: opera nos grauior manet,
Et cura maior; iamq; nec caſus meos
Tu ſciſcitare, nec mihi narra tuos.
Commodior intus cuncta memorandi eſt locus.
Hoſpitia tridui, præſtet Eumæus tibi;
Poſt tu præibis, me domum, Eumæus, iube
Deducat; at tu vera ſi proles mea es,
Rediiſſe Vlyſſem, ne vel Eumæo, caue,
Matriué narres. fœminea noui ſatis
Ingenia, noui quæ ſit & ſerui fides.
Tel. *Præclare genitor, iſta noſtro in pectore*
Pietas timorq;, ſed magis pietas teget.

Chorus.

O *Decus ingens, Ithacæq; dolor,*
Quæ freta, quæ te retinent terræ?
Ecquando Deus ſaluum referet?

Quis

Quis modus vnquam deſiderio,
Tam ſit chari nobis Domini?
Natum vt mater, ſponſaué ſponſum,
Quem mare dulci lare diſtinuit
Longius anno, votis optat,
Semperq; oculos littore figit;
Sic perpetuo ſaucia luctu,
Ithaca errantem quærit Vlyſſem,
Natumq; ſuum, ſponſumq; petit.
Lucem patriæ, Dux Ithacenſis,
Reſtitue tuæ, tua ſe nobis,
Veris vbi inſtar, ſiſtent ora,
Ibit multò gratior annus,
Soles ibunt ſplendidiores.
Columen regni, lapſæq; domus,
Quam malé vaſtant, lacerantq; proci,
Ithacæ lumen, patriæq; parens,
Redeat tandem noſter Vlyſſes.

ACTVS SECVNDVS.

Eumæus. Vlyſſes.

Proci primùm laruati alicunde prodeunt, ſaltantq; in ſcenâ, deinde exeunt in Conclaue.

Miſerande, noſtris credo præſtiterat tibi
Manſiſſe ſtabulis, & ſuum gregibus domi
Sediſſe vigili, quàm petere, quò iam petis.
Sed iuſſit huc te dominus adduci meus,
Heriq; monitis obſequi ſeruum decet.
Vly. *Eumæe, & Hoſpes chare, mendici grauem*
Noui eſſe vitam, ſed animum certé meum
Cupido Vlyſſis ſubijt adeundi domum.

Libet

Libet experiri, dapibus an tantis proci
Circumfluentes, hoſpiti partem velint
Tribuere egeno. nec quidem penitùs domo
Inutilis ero; nam coquere noui cibos,
Aſſare carnes, ſtruere conuiuis focum,
Diffindere etiam ligna, vinum promere,
Et opera cuncta facere, quæ ſerui infimi,
Præſtare domibus vſpiam opulentis ſolēt.
Eu. *Ah miſeret, Hoſpes; q̄ tuo capiti graue*
Diſcrimen affers? an procos inter, libet
Perire? quorum faſtus, atq; iniuria,
Et contumelia, ferreum, credo, queant
Penetrare cælum. nec tui ſimiles ſolent
Illi miniſtros alere. ſed iuuenes comâ
Molli decoros, ora quies dapibus nitent,
Vinoq; pulchrâ veſte, culturâ, otio.
Vly. *Inopina ſurgit nulla mihi facies mali;*
Et iſta barba dura canities mea,
Grauiora multò ſubijt, aſſueui mlais.
Celare ventrem nemo veſanâ poteſt
Fame incitatum, cuius etiam gratiâ,
In maria ſæuo milite armantur rates,
Et damna miſeris inferunt mortalibus.

Melanthius. Vlyſſes. Eumæus.

Ignauus en vt ſequitur ignauum comes!
Similiq; gaudet ſimilis! Eumæe impudēs,
Quò gurgitem hunc, triſtemq; menſarum omnium
Voraginem ipſam ducis, & verè infimum
Barathrum macelli? liminibus humeros ſibi
Detriuit iſte pluribus, quadram aptior

Purgare

Purgare linguâ, quàm quatere iaculum manu.
Quem ſi capellis præficere vellem meis,
Plenam voraret ſpiritu mulctram vnico.
Sed operi honeſto nollet is ſeſe dare,
Poſtquam erro capit eſſe. ſed mallet grauem
Implere ventrem, & peſſimis vti artibus.
Quem ſi procorum cœtui, Eumae, ingeres,
Illi ſcabella turpe comminuent latus.

Vlyßem calce ferit.

Vly. *Vt vror intus? vt lubens terræ velim*
Allidere caput? ſed patere frænum dolor.
Mel. *Quid tacitus iſte murmurat ſecũ belluo?*
Eu. *Vos quæſo Nymphæ Naïdes, vobis herus*
Agnina Vlyſſes crura ſi quando obtulit,
Hædoſq́ pingues, hoc mihi votum vnicum
Implete, redeat ille vir tandem, Deus
Saluum reducat, vt tuam hanc audaciam
Reprimat, Melanthi, tuq́ mendicus cibum
Quæras per vrbes, interim capras tuas
Dum ſæua perdat peſtis, aut paſtor malus.
Mel. *Moriturus ecce verba quæ garrit canis?*
Quem procul ab Ithacâ, deuehàm aliquando rate,
Vt opere victum ſeruus acquirat mihi.
Sic, Phœbe, iaculo Telemachus hodiè tuo
Iaceat, vel aliquis tollat è medio procus,
Vt ſpes Vlyſſi tota redeundi perit.

Exit in conclaue.

Eu. *Huic, Hoſpes, homini lingua ſic menti ſolet*
Præcurrere bona, ſemper antiquum obtinet.
Vt prima monitis facta reſpondent, vides.
Sed ecce dulci perſonat ſtrepitu domus,
Et hîc procorum tota diſcumbit cohors.

Perſonat intus Symphonia, & panditur conclaue.

Tele-

Vlyſſes Redux.

Telemachus. Vlyſſes. Antinous. Eumæus. Eurimachus. Agelaus. Amphinomus. Phemius.

EVmae, rectè eſt quòd ſeni comitem hoſpiti
Te præbuiſti, dum meam peteret domum.
Panem caniſtro profer, & præbe cibum,
Et funde vinum. tuq́; conuiuas pater,
Roga viritim. non iuuat miſerum pudor.
Vly. *Dij te beatum, Telemache, faciant virum,*
Ditemq́;, & animo cuncta ſuccedant tuo.
Ant. *Cur hunc in aulam, Eumae, duxiſti hoſpitem?*
Parumnè multi iam grauant inopes domum,
Frugum helluones? inuides hi quod dapes
Edant heriles, tuq; mendicum tamen
Hunc aduocaſti, ne quid hic reliqui foret?
Eu. *Antinoe, vulgi non mihi mos, hoſpitem*
Placet eligendi. quis domo quenquam excipit,
Niſi forſan ille medicus, opifex ve optimus.
Vateſuè ſit, cantoruè, vel conuiuijs
Natus poeta? gratiâ certè valent
Iſti per orbem, nemo mendicum vocat.
Sed præter omnes, Antinoe, ſemper procos,
Famulos Vlyſſis, meq́; præſertim increpas.
Sed domina viuat, atq; Telemachus, precor,
Antinoe, tanti uix tuas facio minas.
Tel. *Eumae, iuſtum pectoris cohibe impetum.*
Mos iſte ſemper durus Antinoi fuit
Certare verbis. næ mihi tu iam patrem
Antinoe, præſtas, meq́; amas nati loco,
Detrudere meum qui domo cupis hoſpitem.
Quod nemo faxit. ſi libet quicquam dare,

Noli

Noli vereri né tibi ſuccenſeam,
Famuluſué quiſquam. ſed animus certè tibi
Semper vorandi plura, quàm dandi fuit.

Ant. *Telemache, faſtum mentis indomitum doma,*
Quem fando prodis. quiſq; ſi tantum daret
Quantum ipſe, tribus hàc menſibus abeſſet domo.

Scabellum oſtentas.

Eu. *Suauem profectó Telemachus hominem attulit,*
Et deligendi callet ille artem hoſpitis,
Iſtà famelicum qui domo erronem excipit,
Nec corpore habilem, nec operi ſatis vtilem,
Sed inane terræ pondus, & natum gulæ.

Age. *Hunc ergo moneo, Siciliam naue auferat,*
Dignumq; referat venditi lucrum hoſpitis.

Interim mēdicanti vlyſſi, cęteri cibos dans.

Tel. *Hic ſi quid agitur, quod minus vobis placet,*
Exite foribus, dedecus claræ domus
Auferte ab oculis, hæc mihi ac matri vacat.
Haud iſta domus eſt publica, hanc genitor mihi
Extruxit olim. proprias tandem dapes
Comedite, voſque capiat aliquando pudor.
Sin placeat epulis perdere vnius domum,
Perdite, Deorum læſus atq; hominum fidem.
Clamabo, factis vt parem pœnam exigant.

Ant. *Vnde iſte nobis prodit orator nouus?*
Dij te quidem, Telemache, grandiloquum nimis
Fecere. ne proinde te Regem Deus
Conſtituat Ithacæ, ſit licet gentis tuæ
Decus paternum. Tel. *Antinoe, num ſi quid loquar,*
Stomacharis animo? vellem ego ſané, Deo
Tribuente, regnum. num putas homini nefas
Regnare? non eſt; ſed magis ſummum eſt decus
Regem eſſe; cunctis quippe qui ſemper præeſt,
Splendore, opibus, honore, magnificâ domo.

Fer-

Fortuna ſed iam, cùm genitor obijt meus,
Ithacæ ſuperbum, quò volet, ſolium ferat.
At huius ego Rex, & dominus, ero Regiæ,
Rerumque earum quas mihi liquit pater.
Eu. *Hoc in Deorum, Telemache, manibus ſitum eſt,*
Geſtare ſceptrum cùi dabitur Ithacæ inclytum;
Sed opes paternas nemo præripiet tibi.
Age. *Vt ergo tibi ſit, Telemache, vacua hæc domus,*
Hortare matrem, nubat vt tandem viro.
Tel. *Non ego, Agelae, per Iouẽ, & duros mei*
Patris labores, ſiue iam perijt miſer,
Siue procul errat, nuptias matris moror.
Quin illa nubat, cui volet, per me licet,
Dotemque præter, dona quoq; dabo maxima.
Equidem vereor ingerere nolenti virum,
Aut pellere domo, paruulum quæ me edidit,
Aluitque, metuo matris iratæ minas.
Vly. *Præclare Domine, da precor ſtipẽ mihi.*
Haud infimus enim, ſed mihi longè optimus
Videris eſſe, regiam ſpeciem gerens.
Proinde plus te cæteris par eſt dare;
Tuumq; paſſim nomen ad cælum efferam.
Habui ipſe quondam diuitem certè domum,
Et mille ſeruos, quæq; mortales ſolent
Facere beatos, multa poſſedi bona,
Et ſæpe tenues ſtipe donaui hoſpites.
Sed cuncta miſero, qui dedit, Deus abſtulit.
Ant. *Vnde iſta peſtis, ac lues conuiuij?*
Quis turbo, vel te quis, malũ, aduexit deus?
Abſiſte menſa; tu quidem es nimis impudens,
Audaxq; mendicus. dehinc iſtos roga,
Qui tam benigni, non ſuum, facilè dabunt.

Vly. *Ah domine, quæ mens iſta? tu qui nil domo*
Dabis alienâ, quid dares quæſo tuâ?
Ant. *Nunc ecce pulchre non puto exibis foras,*
Garrire poſtquam libuit erroni improbo.

Scabellum iacit.

Vly. *Audite iuuenes quæſo Penelopes proci,*
Quæcunq; ſuadet animus. haud ille dolet,
Pugnando qui pro coniuge, & charis ſibi
Natis, domoq;, vulnus accepit graue.
At ipſe ventris vapulo cauſa mei,
Qui multa miſeris hominibus damna intulit.
At ſi quis vſquam pauperes curet Deus,
Antinous ante nuptias mortem oppetat.
Tel. *Egregia verò laus, & Antinoũ decẽs,*
Rapto miſellum cadere ſcabello hoſpitem.
Animum quidem facinore ſatiaſti tuum
Antinoe; cui ſi pugio foderet latus,
Tibi hic rogum, pro nuptijs, ſtrueret pater.
Pueritia olim noſtra finita eſt, Proci,
Iam vir ſalutor, recta nec fugiunt meam,
Nec praua mentem. multa toleraui puer,
Viro abſtinete. ſin meum ferro caput
Appetitis, agite; nam ſemel malim mori,
Quàm tanta ſemper ferre quæ patior mala.
Amph. *Antinoe pudeat inijcere plagam hoſpiti,*
Luſtrare terras ſæpe Dij ſpecie hoſpitum,
Scelerumq; triſtes expetere pœnas, ſolent.
Faſtum ſequetur vltor à tergo Deus.
At tu capeſſe, quam libet ſedem, miſer,
Comede libenter, & foribus exi, aut ſile;
Ne te per ædes aliquis hic iuuenum trahat,
Laceretq; totum. ſint procul rixæ vndiq;.
Diuine Phemi, quæſo iam carmen canas,

Quodcunq; ſanctus ſuggeret menti calor.

Phe. *Quem lyrâ ſumam celebrare Graium?*

Ecquid Atridas, Thetidiſue prolem?

An vel Aiacen, ſimilemue Marte

Idominêũ?

Te canam Teucer, neq; te ſilebo

Magne Tydide, melior parente:

Syderis ritu micat inter omnes

Clarus Vlyſſes.

Cui locum fas eſt ſapiente noſtri

Prole Laerta prius occupare?

Ille Troianas reſerauit arces,

Fata recludens.

Ille ſeu nigram ſubijt paludem,

Seu per externas procul erret vrbes.

Dum capi fecit potuiſſe, ſolus

Pergama cepit.

Coniugis caſta miſerande coniux,

Viuis? ah viuas precor, & precabor:

En duces Graij rediere, ſed tu

Quando redibis?

Interim tolluntur dapes.

Irus. Vlyſſes. Antinous.
Eurymachus. Telemachus.

Propter conclaue rixantur.

Delire, non tu foribus exibis, ſenex?

Libetne pedibus extrahi? nõ dũ vides

Vt capite, & oculis innuant? te iam rapi,

Trahiq; cupiunt, me facere tamen id pudet.

Sed quaſo properes, ne tibi litem crees,

Tuaq; noſtras ſentiant ſcapula manus.

Vly. *Miſer, nec aliquid facio, nec dico mali.*

Nec plura quamuis dentur inuideo tibi;
Nec inuidere te quidem decet alteri,
Nam tu videris eſſe mendicus quoq;.
Vtriq; domus hac ſufficere diues poteſt.
Sed prouocare me puto nolis, ſenem
Licet imbecillum, né mihi bilem excites;
Né pectus, oſq́; ſanguine oppletum tibi
Reddam; quieſq́; cras erit maior mihi;
Nec enim deinceps te reuerſurum arbitror.
Irus. *Quã glorioſé garrit, en vetula miſer*
Rubiginoſæ ſimilis, & linguâ impotens?
Cui, ſi libuerit, conteram pugnis caput,
Maliſq; dentes, ceu pigro excutiam ſui.
Aggredere, vt omnes, me proci, qui ſim ſciãt,
Spectentq;, quantum præſtet adoleſcẽs ſeni.
Ant. *Nunq̃ ecce, ſocij, ſuauius ſpectaculũ*
Deus obtuliſſet. Hoſpes, atq; Irus parant,
Certare pugnis, quæſo ſpectemus ſimul.
Audite iuuenes, iſte ſit pugnæ exitus.
Vter ecce victor fuerit, huic ſemper dehinc,
Pingues licebit eſſe nobiſcum dapes,
Nec habeat alium noſtra mendicum domus.
Eur. *Antinoe, nobis perplacet ſententia.*
Vly. *Clariſſimi herôes, viro durũ eſt ſeni*
Cum iuuene pugnam conſerere. ſed.n. fames
Maleſuada ſuadet, meq; iam venter grauis,
Durus magiſter, cunctaꝝ audẽdi artifex,
Malé vapulare coget. at quæſo mihi
Iurate Proceres, neminem veſtrûm improbo
Iro affuturum, meq; caſurum manu.
Tel. *Miſerãdæ, ſi te pectoris vigor, aggredi*
Hortetur Irum, neminem metue alterum.

Qui

Qui verberârit, vel quidem digito vnico
Tetigerit, illi res erit cum pluribus.
Meum tuebor hoſpitem, Antinous quoq;
Tuebitur, & Eurymachus, & reliqui proci.
Eur. Telemache, ſic eſt, en fidem cuncti damus.
Ant. Quid? Ire trepidas? an ſenem iuuenis times?
Magnifica poſthac verba te pudeat loqui
Hunc ſi expaueſcas, membra torpentem gelu,
Senioq; fractum, quem ſtatim niſi viceris,
Te Regem ad Echetum, peſſimum mortalium
Procul hinc ab Ithacâ, naue curabo auehi,
Nares, & aures qui tibi, & labra amputet,
Et cruda canibus membra proijciat tua.
Vly. Incertus hæret animus, ignauo ſtatim
An impudentem verberibus animam auferam,
Leuiterué cædam; ſed placet leuiter magis
Ferire, ne quis hîc mihi ſuccenſeat.
Eur. En veſte lacerâ quale crus miſer extulit?
Et quale pectus? quos lacertorum toros?
Humeroſq; quales? ſponté iam vereor ſibi
Famelicus Irus grande contraxit malum.
Vly. Primum duelli pignus hoc, Ire, accipe. Conſerunt manus.
Irus. Ah parce tandem, ſuſtine quæſo manus.
Vly. Recumbe nunc hîc, & dehinc arcê canes. Pedibus Irum, extrahit ridentibus procis.
Fac ne laceſſas hoſpitem poſthac probris,
Né forſan aliquid peius obueniat tibi.
Eur. Dent, Hoſpes, animo Dij tuo quicquid lubet,
Noſtra expuliſti qui domus faſtidium.
Virtutis eccum munus exiguum tua.
Ant. Mendice, jam te laudo, iam ſtipem accipe. Exeunt proci in cœnaculum.

Amphinomus. Vlyſſes.

Vlyßi Libat, ſtipemq; dat

Pater hoſpes, ecce, quiſquis es, ſalue precor.
Stabiles deinceps Dij tibi præſtent opes,
Opprimere quem nunc, omnibus certant modis.
Vly. *Amphinome, Niſo patre te natum ferunt,*
Prudente, memini, & optima fama viro,
Nec enim videris ore diſſimilis patri.
Aduerte quæſo quid ſenex dicam; omnium
Quæcunq; ſpirant vndiq;, aut ſerpunt humi,
Nihil eſt miſerius homine. qui vita tamen
Placida fruetur, Dij modo faueant boni,
Rectamq; pergant viribus mentem addere.
Sin premere contrà cladibus miſerum velint,
Laborioſam deget ætatem in malis.
Mens illa cunctis ſemper eſt mortalibus,
Præbere qualem Iuppiter ſolet indies,
Et opes tenebit quiſq; quas Superi dabunt.
En pauper ego nunc, fratribus quõdã inclytis
Fœlix videbar. ſed nimis fretus patre,
Opibuſq;, inique multa patraui miſer.
Ius ergo faſq; nemo ſpernendum putet.
Domo quod iſta, facere dicuntur proci,
Rem deuorantes, coniugem optantes viri,
Quem non amicis, non diu proprio lare
Reor abfuturum, iã quoq; is valde prope eſt.
Sed te reducat aliquis in patriam Deus,
Ne cum redierit, te ſuâ offendat domo.
Deos precare, ne reuertenti incidas.
Quem vereor inter, & procos, ſine ſanguine
Et cæde, nunquam cauſa tranſibit grauis.

Am. *Ignoſce, quod te non putem vatem, ſenex.*
Tibi ſemper adſit veſtis, & vinum, & dapes,
Donec redierit ille cum tanto metu. Exit in Conclaue.
Vly. *Miſerande iuuenis, triſte nec fatum Deus*
Vitare, nec te proprius patitur furor.
Sodalitas vt praua præclaram indolem
Corrupit, inuoluetq; funeſto exitu!
Sequar, prociſq; ſemper aſtabo comes,
Luſtrabo iuuenum ſcelera, ſcrutabor domũ,
Et inſtar vmbræ, ſingulis adero locis.

Chorus.

Ecce iuuentus noſtra, modeſtæ
Priſcas vitæ ſoluit habenas.
Iam ruptæ iacent ſepta pudoris.
Peſtis iuuem peſſima luxus,
Optima virtus cæpit haberi.
Frugi eſſe pudet, claræ paſſim
AEre alieno cecidere domus.
Fœda libido, pictaq; veſtis,
Et gula regnant, cunctaq; perdunt,
Rapiuntq; ſimul. iam fuga culpæ
Animum prodit ruſtica ſegnem.
Studioſa ruit turba culina,
Nitidâ nimium pelle decori,
Compti iuuenes, cytharæ ad ſtrepitum
Ducere noctes magis aſſueti,
Quàm ferre trucis fremitum litui,
Inſula non hæc artibus iſtis
Olim creuit, non ſua talem
Ithaca ad Troiam miſit Vlyſſem;
Quem det reducem Iuppiter, opto.

 Actus

ACTVS TERTIVS.

Penelope. Euryclea. Autonoe. Eurynome. Hyppodamia.

EVryclea, miror filius modò quod meus,
Ætatis eius, & ſuâ certè domo,
Suumq́, pariter hoſpitem, cadi tamen
Pertulerit; vtinam, Phœbe, percuſſor tuo
Percuſſus arcu, per latus vtrumq́, occubet.
Eury. *Si noſtra quicquam vota proficerent, Hera,*
Nullus procorum craſtinum aſpiceret diem.
Aut. *Regina, captâ nil puto grauius domo*
Pateremur; hoſtes, non procos, iuuenes agunt.
Pen. *Inimica cunctis mens ſcio, Autonoe, ſubeſt;*
Sed inter omnes Antinous vnus mihi
Peſti videtur ſimilis, aut morti magis.
Qui cum benignè cæteri ſtipem darent,
Solus ſcabellum pauperi inflixit graue.
Eury. *Vtinā procorū tota ſic abeat cohors,*
Vt Hoſpes aulâ verberibus Irum expulit.
Pen. *Manebit illos peior, Eurynome, exitus,*
Mihi vera vates ſi Theoclymenus canit;
Telemachus hodie ſternuit crebrò mihi,
Et neſcio quid animus expectat boni.
Mox aderit Hoſpes, quem meo tot de viro
Narrare ſolitum, retulit Eumæus mihi.
Sed agite, noſtras dum tenent opera manus,
Dulci aliqua cantu, tempus atq́, animos leuet.
Cantoris ecce Phemij carmen cauat,
Quod caſtitati nuper is ſacrum edidit.

Nec

Nec tincta veſtis murice, nec coma
Flauens, nec aurum, nec lapis Indicus,
Nec tam vlla pingit gratia fœminam,
Quam pulchra pulchro pectore caſtitas.
Fruſtra Cupido ſollicitat domum,
Cui ſemper aſtat tam bona ianitrix.
O fons, & almæ norma propaginis,
Et ſancta lecti regula, caſtitas!
Tu belluis nos vnica diuidis,
Formæ ſatelles nobilis, & comes.
Quód quiſq; prolem legitimam videt,
Certamq; ſtirpem, muneris eſt tui.
Tu ſola duras gloria fœminis,
Cælumq; præſtans euehis ad Deas.
Deformitas quas caſta magis decet,
Quam forma turpi ſaucia crimine.
Tum gemma pulchro conuenit annulo,
Cúm pura vultu mens niueo micat.

Pen. *Vt ſemper aures afficere cãtus ſolet,*
Vbi dulce carmen conuenit ſymphônia!
Cantoris hymnum Phemij ſuauem ſcias.
Sed Hoſpes en cubiculo greſſum intulit.

Penelope. Vlyſſes. Euryclea.

SEllam ecqua defert, atq; puluillũ hoſpiti?
Iſtum capeſſe quæſo pauliſper locum,
Tuumq; primó nomen, & gentis tuæ
Effare, & vrbis, quóq; ſis natus patre.

Vly. *Regina, gentis candidum ſydus tuæ,*
Excelſa cuius gloria, ad cælum vndiq;
Exaggeratur, Regis inſtar maximi,

 Supe-

Hip.

Superiſq; chari, qui Deum ſancte colens,
Multiſq; latè, ac fortibus dominans viris,
Dat iura populo iuſtus, ac mitis ſuo;
Cuî terra fruges, arbores fructum ferunt,
Et pecora pariunt, præbet & piſces mare,
Et pace degit populus, & facili iugo.
Proinde miſeri nomen & patriam viri,
In tam beatâ quæſo ne quæras domo.
Maiore pectus ne meum luctu graues,
Bona reputanti vetera, quêis miſer excidi.
Nec in aliena me decet flentem domo,
Mæſtumq; ſemper eſſe, ne famulæ tuæ,
Tuq; ipſa, fletus increpes forſan meos,
Lachrymaſq; credas fluere præ vino mihi.
Pen. Miſerande, neſcis ipſe quot crucior malis.
Fœlicitatem perdidit noſtram Deus,
Ex quo maritus Ilium petijt meus.
Is ſi rediret, & ſuam regeret domum,
Meamq; vitam, clarior multò forem.
Iam triſtiorem morte vitam tranſigo.
Nam quot Zacinthum, quotq; Dulichium inſulas,
Samumq;, & Ithacã, nobiles habitant viri;
Tot ambientes irruunt in me proci,
Tædaſq; flagitant, & meum vaſtant domum.
Quos miſera tali diſtuli fraude hactenus.
Generoſa, dixi, turma, quandoquidem meus
Obijt Vlyſſes, quæſo paulisper moram
Præſtate, veſtis cœpta dum manibus meis
Texatur hæc funerea Laertæ ſeni,
Cum Parca rapiat; fila ne pereant mihi
Iam præparata, neue mihi detur probro,
Si veſte tantus funebri careat ſocer.

Placuit iuuenibus ratio; quaq; interdiu
Telam parabat, nocte ſoluebat manu,
Texens, retexens, iamq; tribus annis, bené
Omnes latebam, famula tandem prodidit.
Et irruentes nocte deprendunt dolum,
Minisq; cogunt perficere telam proci.
Effugere quos iam nulla mihi reſtat via.
Proinde manibus regimen emiſi meis,
Nec vlla tunc cura me regni capit.
Sed maſta charum defleo ſemper virum.
Vrgentq; thalamos, & fidem noſtrã proci.
Icarius ipſe me quidem viduo pater
Diſcedere toro cogit, & tantas moras
Increpat; & agré filius iam fert, opes
Peſſúm ire, vir iam factus, & domui ſatis
Aptus regenda, qui, precor Superos, auum
Ætate vincat, aquet ingenio patrem.
Sed fare, quaſo, nomen & gentem tuam,
Haud te creatum ſilice, vel quercu putẽ.
Vly. Regina, coniux clara Dulichij ducis,
Non tu rogare deſines ſtirpem meam?
Afficere cur me, teq; vis luctu nouo?
Nam vir quot annos abfuit patriã tuus,
Tot ego, per vrbes exul erraui exteras.
Sed noſſe miſeri ſi libet genus, eloquar.
Mihi terra patria eſt Creta, Deucaliõ pater,
Minoe genitus; frater Idomeneus fuit
Cretenſium Rex. nomen eſt Æthon meum.
Videre Vlyſſem contigit primùm mihi,
Cum claſſe pelago peteret vndoſo Ilium.
Quem forté, venti magna vis Creta appulit,
Fratremq; quarens, hoſpitem dixit ſuum,

Vete-

Veteremque amicum; forté lux decima extitit,
Ex quo ille verſus ſoluerat Troiam rates.
Proinde fratris hoſpitem, ſ. cumeum,
Domumq́; feſſo præbui, ac menſæ dapes,
Tunicamq́; & enſem, munus abeunti dedi.
Pen. *Nunc, Hoſpes, adeó experiar, an certè meum*
Tuâ maritum exc êperis veré domo.
Quis habitus illi veſtis, atq; oris fuit?
Sociiq; quales? Vly. *temporis tractu obruta*
Regina, longo quæris, & languet ſenum
Memoria. nam bis iam decimus annus mihi
Effluxit, ex quo patriam liquit meam.
Sed veſtis illi purpurea, memini, fuit,
Anteriùs auro picta, quam circumdedit
Et limbus ingens aureus, miro æmulam
Fulgore ſolis: docta materia manus
Certabat opifex. fœminæ prænobiles
Molli ſtupebant veſte, & artificis manu.
Aſt ipſe lato pectore, ac modicis ſtetit
Erectus humeris, ore lætitiam gerens.
Linguâ diſertus, voce grandiloquus fuit,
Dolique dictus eſſe, fraudumque artifex.
Gibboſus illi ſemper aſtabat comes,
Criſpo capillo capitis, & vultu nigro,
Vlyſſe natu maior; Eurybatem ſui
Dixere, domino charus in primis fuit.
Pen. *Agnoſco veteres corporis chari notas,*
Agnoſco Vlyſſem: manibus ea quondam meis
Depicta chlamys eſt. proh genus Ledæ impium!
Tu cauſa belli, tu meæ cladis caput.
Vix ipſa tanti Troia cum Priamo fuit.
Quid illa cineres facta, iam prodeſt mihi,

Si maneo qualis ante, ſi ſemper meus
Vir eſt carendus? diruta ſit alijs, tamen
Mihi reſtat vni Troia. da veniam precor
Argolica tellus, vtiliùs etiam mihi
Iam Troia ſtaret. ſcirem vbi pugnas daret,
Et mea querela iuncta cum multis foret.

Vly. *Regina, quæſo ne grauis fletus tibi*
Corrumpat oculos; vir tuus forſan valet,
Ithacamq; forſan, & domum repetet breui.

Pen. *Certè puella quæ profecturo fui,*
Anus videbor facta, redeunti ſtatim.
Sed nulla miſeræ ſpes mihi reditus manet,
Grauiùſq; ſolito nuptijs inhiant proci.
Arcum proinde efferre iampridem viri
Eſt animus, vt qui flectat, & fixum ſcopum
Feriat ſagittâ, me ſibi vxorem auferat.
O dura lux, & ſemper infamis mihi,
Hanc quâ relinquam coniugis tanti domum!

Vly. *Regina, perge: profer in medium procis*
Certamen arcus, nemo quem iuuenum priùs
Intendet, ipſe quám tuus Vlyſſes domum
Redibit, aut hac arce præceps deferar.

Pe. *Id fiat, Hoſpes, credo, quia vix vſpiam*
Inflectet arcum nulla tam fortem manus.
Sed, Hoſpes, vtinam redeat, afficerem bonis
Quæ te beatum facere de miſero queant.
At huîc lauentur, Euryclea, feſſi pedes,
Paretur illi lectus, & veſtes nouæ,
Hoſpite mariti gratior an hoſpes mihi eſt?

Eury. *Multi quidem miſerabiles, ſæpe huc, Hera,*
Venêre, ſed enim nemo qui ſaperet magis,
Aut dominum Vliſſem voce, pedibus, corpore,

Qui plus referret. Vly. *ſic, Domina, cuncti ferunt,*
Quicunq; nos aſpicere potuere vſpiam.
Pen. *Si iam ille nutrix viueret, credo miſer*
iam talis eſſet. & quidem talis mihi
Placeret ille, det modó reducem Deus.
Sed ecce thalami limen Amphinomus ſubit.

Amphinomus. Penelope.

REgina, generis grande fœminei decus,
Ecquando votis exitum noſtris dabis?
Miſeratio animum ſubeat aliquando tuum,
Abrumpe quaſo damna tam longa moræ.
Pen. *Statuenda quæ res, Amphinome, ſemel eſt, diu*
Deliberanda eſt; ſat citó, ſi ſat bené.
Non præuidentem, ſæpe voti pœnitet.
Am. *Parumné tibi tam longa proſpexit dies?*
Pen. *Dilata ſæpe profuit multis dies.*
Am. *Coniugia fatum regere, non ratio ſolet.*
Pen. *Fatalis illa ſtultitia ſemper fuit.*
Am. *Quiſquamné amorem regere conſilio valet?*
Pen. *Qui non amorem ſequitur erronem ducem.*
Am. *At ille noſtris præferat thalamis facem.*
Pen. *Fax illa ſæpe præbet in præceps viam.*
Am. *Sapere & amare vix, puto, Superis datum eſt.*
Pen. *Tantó cauendũ eſt hominibus magis hoc malũ.*
Am. *Lenimen animi dulce, cur credis malum?*
Pen. *Quoties venenum, melle ſub dulci, latet?*
Am. *Formam iuuentæ ſinguli carpunt dies.*
Pen. *At caſtitatis fama perpetuó viret.*
Am. *Magis bené eſt cuicunq; cum ſocio eſt bené.*
Pen. *Minus malé eſt, cuicunq; ſibi ſoli eſt malé.*

Am.

Am. *Ah cur inanem, Domina, tibi fingis metum?*
Intacta forſan horreat virgo virum,
Experta cupiat. quæ ſemel nupſit bené,
Nubat ſecundùm, quia ſemel nupſit bené.
At enim marito quæ ſemel nupſit malo,
Nubat ſecundùm, nubat vt tandem bono.
Sic vidua ſemper properet ad thalamos nouos.
Pen. *Amphinome, nobis alia mens animo ſedet.*
Nam quæ marito nupſit aliquando bono,
Metuat ſecundum, né viro nubat malo.
At quæ proteruo nupſit infelix viro,
Fugiat ſecundum, quia ſemel nupſit malo.
Sic vidua thalamis ſemper abſtineat nouis.
Am. *Ingens bonorum vis maritorum, tibi*
Demat timorem, ſummus eligere eſt labor,
Et copia tuum tanta delectum impedit.
Pen. *Nunquam malorum numerus exiguus fuit.*
Am. *Cur ipſa primi vinculum accuſas tori?*
Pen. *Parumné me tam longa defendit fides?*
Am. *At iſta pietas, cui reſeruata eſt viro?*
Quem præſtitiſſe mutuam credas fidem?
Malefida ſemper militia cuſtos fuit
Thalami iugalis; militem aſtringas toro?
Quoties amore blandiens, Dominæ ſuæ
Narrauit, vxor quam foret ſibi ruſtica,
Quæ ſola lanas eſſe non ſineret rudes?
Pen. *Nunquam ſecutus caſtra, caſtrenſem fidem*
Damnabis? atqui cùm tot egregios Duces
Captiua nimis abſtulerit in Dominas Venus,
Quæ fama Vlyſſem, quæué ſuſpitio meum
Perſtrinxit vnquam leuior? inſontis notam
Aſpergere cupis? an tuo ſemper pede,

Metiris

Metiris alios? vtq; ita foret (quæ ferè
Libido veſtra eſt) vrbium domitor, ſibi
Permittat aliquid, quod neque vxorem nimis,
Neq; Dominam reſpicere prudentem decet.
Lex alia regij, alia priuati eſt tori.
Nec enim ſeueras coniugem fas eſt viro
Statuere leges, arctior quàm caſtitas,
Fideſq; maior, quàm virum, ſemper decet.
Am. *At nemo debet tam diu extincto fidem.*
Qui iam vt rediret, quid aliud referat domũ,
Inane præter nomen, & laruam meram,
Rugaſq;, canitiemq;, ſeniumq;, & ſitum?
Pen. *Vtinam rediret larua, panniſq; obſitus,*
Anniſq; fractus; larua quas turbas daret?
Illo recepto nil foret miſerum mihi,
Amplexu Vlyſſis emori, gratum foret.
Cui tota nunquam Græcia æqualem tulit,
Virtute, famâ, robore, ingenio, fide,
Splendore, linguâ, genere, conſilio, manu,
Almaq; pacis, pariter ac belli artibus.
Puella ſapiens nobilem ſemper virum,
Fortem, ſagacem, gloriâ clarum expetat.
Pudica coniux ſplendet his radijs viri.
Am. *Inflecte quæſo pectus, & durã hanc tibi*
Aliquando mẽtem, vota tot iuuenum exuant.
Nec petere nos, nec quicquid hoc ingens erit,
Forſan referre, penitus indigni ſumus.
Miſerere amantum; non ita, excelſa licet,
Sordere debet tanta nobilitas tibi.
Nullũne gignit Ithaca, Dulichiũ, aut Samos,
Nullum Zacinthus, totq; vicinæ inſulæ,
Quem coniugalis gloriâ thalami bees?

Sem-

Vlyſſes Redux.

Semperne vigiles tela laſſabit manus?
Semperne viduo frigida iacebis toro?
Dieſné tardos ire, noctesq́; integras
Queri iuuabit ſemper? id cineres leues,
Maneſq́; iam curare defunctos putas?
Vidua, per annos bis decem, expectas virum?
Non tu maritum ſola fleuiſti tuum,
Non ſola amiſti; Troia non vnum abſtulit.
Planxere charos & aliæ Dominæ viros,
Quos ſiue belli, ſeu furor pelagi abſtulit.
Sed eum dolorem longa iam minuit dies,
Nouiq́; thalami; Troia iam vetus eſt malum.
Ne tibi animum, Regina, commoueat, precor,
Si videor importunus, & vehemens tibi.
Ignoſce quæſo amore ſi pecco, tui.
Amore qui peccauit, eſt pene innocens.
Pen. *Vt ſemper aures verberant eadẽ meas,*
Radice quercum eruere quæ poſſent ſuâ!
Nec ſpes quietis vlla melioris manet.
Proinde finem facere decreui malo.
Generoſe iuuenis, hunc mihi laborẽ vltimum
Concede, tantùm exigua præſtetur mora,
Promitto facilem, tempus expecta breue,
Idemque noſtro nomine rogabis procos.
Iam iam maritum, quẽ Deus dederit, ſequar. Exit in Regiam.

Vlyſſes ſolus.

AH fida coniux, dulce Penelope decus,
Quæ te dolores gratiâ torquent meâ?
Philomela nidum non ita ablatum pia,
Charumné turtur comparem amiſſum gemit,

Niſi mihi ocelli ferrei planè forent,
Lachrymas dediſſem lachrymis; quas iam tamen
Nequeo tenere, fonte quin pleno ruant.
Quin prodo me? quin miſereor tandem tui,
Meiq;? metuam tam bona vxoris fidem?
Non ipſi tam me Troia, non res bellica,
Ithacaq; ſceptrum, non genus auctum a Ioue,
Quàm caſta coniux, poſteris clarum dabit.
Sed vnde vênit iſta mollities mihi?
Scylla, & Charybdis dira, Siculiq; horridum
Cyclopis antrum, totq; tibi ſubeant mala;
Saxumq; fibris indue, ac ferrum triplex.
Obdura Vlyſſe, robur antiquum aduoca,
Animumq; veterem, ſemper Atridæ memor.
Moniti, Agamemnon, meminero ſemper tui;
Cunctis habenda fœminis minima eſt fides.
Confide nulli, ne vel vxori tuæ,
Si capitis agitur cauſa. iam lateo benè,
Me fando prodam. iamq; me hoc condam loco,
Facilè hinc procorum facta ſpeculabor mala.

Melantho. Eurymachus. Vlyſſes.

Dulce aliquid ad lyrã canit.

E*Vrymache, non te pudeat ancillæ torum*
Subire, tantam quâ domo Dominam petis?
Eu. *Pulcherrima Melantho, quid effari queam?*
Nemo ſeueram iuuenibus legem ferat,
Nec Rex, nec amor, herile patiantur iugum.
Equidem fateor ambire me dominam tuam;
Opulenta quippe vidua, ſumptum præbeat
Viuente patre. quam ſtatim ſi ducerem,
Sine te voluptas nulla mihi præda foret

Dulcis

Dulcis Melantho; propior accedit mea,
Tua mollis ætas. vtque quod res eſt loquar,
Quis ferre poſſet tædium tantæ moræ?
Mel. Eurymache, ſic eſt; Domina Penelope ſibi
Dum neſcio quam gloriam captat leuem,
Quot illa noctes perdidit flendo bonas?
Momenta pulchri corporis ſpolium auferunt,
Fragiliſq; res eſt forma, dum licet, vtere.
Sit miſera ſemper, quæ ſibi luctum creat.
Sed obtinendi tandem alia vobis via
Ineunda voti eſt; peſſimè hic agitis procos.
Eu. Qui ſic Melãtho? Mel. parca quia iuuenũ cohors
Veniſtis, & quos Veneris haud tantum iuuat,
Quantum culinæ cura. munificas manus
Diligimus, ipſos dona demulcent Deos,
Iouiq; præſtant. arce cùm Danae procos
Arceret altâ, cùm fores clauſæ vndique,
In imbre vênit Iuppiter tandem aureo,
Prædamque victor abſtulit; nulla aureo
Reſiſtet imbri; ferreas aurum trabes,
Nedum puellas, frangit, ac ſternit ſolo.
Eu. At illa amori pectus inimicum gerit,
Credo ſequetur, quem nimis plorat, virum.
Mel. Eurymache, cautã non feram mentem gerit.
Quia valdè amauit, quia miſera fleuit diu,
Ideó ſecundi ſpem dat ingentem viri.
Non illa amori pectus oſtendit rude,
Sed molle potiùs, quæ virum ſemper gemit.
Mihi crede, veteres ſentiet flammæ faces.
Scintilla viuit aliqua de tanto rogo,
Quæ cinere tecta, fomite ardebit nouo.
Multum illa honori tribuit, ac famæ hactenus,

Et ipſa forſan turba, iam voti mora eſt.
Sed Hoſpes ecce quo latet miſer angulo;
Ut noſtra, vereor, aure ne verba hauſerit?
Tu quæſo celerem confer hinc alió gradum.
An hic cubabis nocte iam totâ miſer?
Tibi locus iſte conuenit? quin hinc abis?
Quin foribus exis? ecquid auferri lubet?

Vly. *Ah cur tam acerbo, Domina, me dicto petis*
An tibi lacernâ ſordeo indutus malâ?
Sors iſta ſemper triſtis erronum fuit.
At quæſo, cùm ſis prima famularum, mihi
Ne penitùs omnem eripere lætitiam velis.
Infenſa né ſit forte Penelope tibi,
Aut ipſe Vlyſſes veniat; & ſpes eſt adhuc
Non nulla reditus. vtq; iam longé occubet,
At talis illi filius ſupereſt tamen,
Quem nulla lateant facta famularum domi,
Pœnaſq; vires cùm dabit Deus, exiget.

Mel. *Obſtrepere libuit? quó tibi cerebrum excidit*
Non tu quieſces, erro, magnificâ in domo?
Semperné coram garries os impudens?
Hos victus animos Irus afflauit tibi,
Hinc iam ſuperbis. at vide, ne fortior
Exurgat Iro, qui tibi obſcæno caput
Cruore fœdans, penitus exturbet domo.

Vly. *Canis impudica, cuncta Telemacho eloquar,*
Vt fuſte cædat, teq; membratim ſecet.

Vlyſſes ſolus.

ARdeſcit irâ pectus, exundat furor.
Aſſcciné per aulam diſtrahere famulas decet,

Stupris domum maculare, fœdare omnia,
Rem deuorare dapibus alienam improbis,
Miſcere cuncta, ſtruere Telemacho dolos,
Appetere vitam, debitum genti meæ
Eripere ſolium, afficere Penelopen probro,
Ipſamq́; pené rapere nolentem toro?
Sed enim ſile, queſtuſq́; ſecreta abditos
Serua vltioni; qui tulit patiens mala,
Referre potuit, quod tegitur odium, nocet,
Manifeſta perdit ira vindictæ locum.

Chorus.

VXor magni fida mariti,
Regina Ducis ſyduſque Ithaci,
Tandem curis impone modum,
Quas mora fecit longa mariti.
En nos miſeret, Regina, tui,
Tuq́; aliquando miſerere tui;
Famam tædis poſtpone leuem,
Sat iam lachrymis, fideiq́; datũ eſt.
Obſidionem Troia per annos
Perpeſſa decem, victaq́; tandem eſt;
Tu Dardaniâ fortior vrbe,
Iam viginti dura per annos,
Vidui thalami damna tuliſti,
Inuicta tamen, conſtanſq́; viro.
Nil mortali dulcius vnquam,
Superi tribuant, vxore bonâ.
En vxorem, quam non dona,
Non blanditiæ, vota, preceſq́;,
Non Ithacenſis tota iuuentus,
Non bis denis annis viduus,

Cælebſq; torus, tramite recto
Flectere poſſunt. vt fœmineum
Pudeat probris onerare genus.
Nemo vxori talia præſtat;
Vix Penelopæ præſtat Vlyſſes,
Si iam æthereâ veſcitur aura.

ACTVS QVARTVS.

Vlyſſes ſolus.

QVó raperis anime? ſiſte nè propera dolor.
Iam tempus aderit, ira quo, rupto obice
Torrentis inſtar, gurgite ruet ſpumeo,
Stragemq; dabit horrendam; quo meritas proci
Pœnas rependent, quóq; ſemeſam domum
Sanguine reponent, non leui ſtabunt dapes.
Prægeſtit animus latera tranſfixos humi
Videre ſtratos; aſpicere menſas libet
Tabo fluentes, aſpicere pateras libet
Cerebro madentes. ſpem tibi hanc intus foue.
Hoſtem iuuat ridere; quantò plus iuuat
Mactare? non eſt ſuauius ſpectaculum
Hoſte interempto. tu meas vires alis
Vindicta dulcis, nulla te melior Dea eſt,
Te propter vnam, ſufficio tantis malis.

Telemachus. Vlyſſes. Eumæus.
Melanthius. Philætius. Melantho

Omnes in hac ſcena, in tranſitu Vlyſſem alloquuntur, & è cõclaui in aulam exeunt.

MIſerande genitor vſq; quò patiens eris
Vterq; noſtrûm? ſumme quem finem Deus
Statuis laborum? tela ſubtraxi procis

Pro-

Prout monebas, ecquid vlterius mones?
Vly. *Nihil, niſi vt, Telemache, perdures malo.*
Fortunam ab alijs diſce, virtutem a patre.
Tu me capillo videris tractum licet,
Humiq; raptum pedibus, at perfer tamen,
Animumq; cohibe. ſæua commiſeratio eſt
Miſerando patrem perdere. ſed aufer gradum
Telemache, ne quis colloquia noſtra hauriat;
Aurita domus eſt, & paries oculos habet.
Eu. *Salue, Hoſpes; ecquid habitus es iam molliùs?*
An more ſolito te malis onerant proci?
Vly. *Dij contumelias vindicent tandem graues,*
Quas impudenter regia domui inferunt
Eumae, quaſq; patior aſſiduè minas.
Eu. *O rem pudendam ſemper! vt molles proci*
Dormire cupiunt fortis in lecto viri?
Quibus eueniret ſæpe quod ceruæ ſolet,
Leonis antro quæ ſibi nidum ſtruit,
Fœtumq; ponit, at ſuperueniens leo,
Antrumq; repetens veſperi, & matrem rapit
Prolemq; miſerè: ſic herus ſi iam meus
Domum rediret, quam daret ſtragem procis?
Mel. *An tu rogando Regiam infeſtas adhuc?*
Nondum exijſti? num libet noſtras manus
Guſtare? menſas i, pete aliorum miſer.
Venturi Vlyſſis fabulam, i, narra foris,
Quem merita rapuit iam diu Superûm vltio.
Phi. *Miſerande, quis te grauior inſequitur Deus?*
Par eſſe Regi corpore videris mihi.
Salue precor, manumq; coniunge hoſpitem.
Non Hoſpes vnquam gratior venit mihi.
Inique ſemper Iuppiter; nec enim eſt Deus

Te peior alter, non enim Divûm pater
Libereris hominum, ſtirpe genitorum tuâ.
Et iam memoria me quidem chari ſubit
Acerba Domini, pariter & lachryma genas.
Huiuſmodi qui forſan indutus ſago,
Vrbes oberras barbaras, rerum indigus,
Miſerabilis, inops; ſi quidem viuit tamen.
Sin obijt, ô me ſydere infauſto ſatum!
O dulcem Vlyſſem! læta qui ſub me boum
Arbitria voluit eſſe, quos ſpreto Deûm
Timore, vaſtat impudens iuuenum cohors,
Abſente domino, remq; diuidere apparant
Cæſo paternam iuuene, quod dirum, precor,
Ipſis redundet in capita potiùs nefas.
Proinde ſæpe arripere conſtitui fugam,
Spes aliqua reditus, ſemper iniecit moram.
Vly. *Non tu, Philæti, ſimilis ignauo mihi*
Videris eſſe, ſapere iamdudum ſcio.
Proinde dextra teſtis hæc mihi ſit tua,
Dextra hoſpitalis, ſicq; me Superi iuuent,
Vt dominus huc, præſente te, veniet tuus,
Et molietur iam breui ſtragem procis.
Phi. *Id præſtet vtinã Iuppiter! ſcires meas*
Non eſſe tali frigidas operâ manus,
Nec tot rogaſſe vota nequicquam Deos.
Mel. *Mendice, non tu deſines quouis mihi*
Occurrere loco? per domum diſcurrere?
Aſpicere famulas? quin foribus exis ſenex?
Oculoſq; noſtros alleuas faſtidio?
Rediturum Vlyſſem, ſcilicet, nobis refers;
Præclare vates, tu domo priùs exeas;
Is cum redierit, tu ſimul redeas comes.

No

Vly. *Non te, Melantho, potiùs Eurymachum ſinu*
Pudeat fouere? Principum ò miſera vices!
Quot proditores ſæpe nutritis domi?
Quàm rara ſerui eſt, quàmq; nō firmo pede,
Vix intrat vnquam regium limen, fides?
Sed ecce foribus ipſa Penelope exijt.

Penelope. Eurymachus. Telemachus.
Antinous. Piſander. Eurydamas.
Polybus. Euryades. Cteſippus.
Liocritus. Agelaus. Amphinomus.
Vlyſſes.

MOleſta iuuenum turba, quos tanti eſt mihi,
Noſtra moram traxiſſe tam longam domo,
Quam iam per annos quatuor penè integros,
Noctes, dieſq; epulando vexaſtis malè,
Nullamq; factis fingere aliam peſſimis
Cauſam poteſtis, quàm mei ſtudium tori,
Ergo agite tandem, quiſquis è vobis, Proci,
Hunc tēdere arcū valeat, & poſitā eminus
Metam ſagitta feriat, hunc vxor ſtatim
Sequi maritum, & regijs opibus virum
Statuit beatum reddere, relictâ hâc domo,
Cuius memoria dulcis, haud vnquam mihi,
Vbicunq; viuam, ne vel in ſomno excidet.
Eur. *Regina, claræ lumen ac decus inſulæ,*
Non hæc videri mira res debet tibi,
Excedere domo, ſi priùs nolint proci,
Quàm retulit aliquis præmiū tantæ moræ.
Manſiſſe turpe eſt tam diu, & vacuos domū
Redire. ſed enim tota ſi formam tuam
Aſpiceret iſtam Græcia, actutum noua
Impleret aulam, quanta Nobilium cohors?

Pen. *Eurymache, formam Iuppiter noſtram abſtulit*
Quæcunq; fuerit illa, cùm primùm meus
Peteret Vlyſſes claſſe non fauſtâ Ilium.
Qui dexterâ me, iam profecturus, tenens,
O chara coniux, inquit, haud Danaos puto,
Omnes redibunt, nempe pugnaces viros,
Et bellicoſos eſſe Troianos ferunt.
Meq; an reducat neſcio, an perimat Deus.
Proinde curæ ſint tibi cuncta hæc domi.
Geminum parentem quo ſoles ſtudio, foue.
At vnigenito tenera quamprimùm meo
Pubeſcet ætas, nube cui libuit viro.
Sic ille; iamq; dicta præterijt dies,
Proinde pharetram pariter atq; arcum viri
Proferte famuli, grande certamen proci.

Eumæus ac Philætius, cum pharetram; portantes, ex eorum aſpectu lachrymantur.

Ant. *Stulti, quid animū lachrymis veſtris Heræ*
Turbatis? ecquid ſponte lugentem nimis
Libet incitare? non ſatis per ſe virum
Luget peremptū? ſiſtite hunc fletū, aut foris
Plorate ſtolidi; vetera iam fletis mala?
Tel. *Heu me, profectò mens mihi ſana excidit.*
En chara genitrix apparat tædas nouas,
Domum hāc relinquet, & tamē ludo ac iocor,
Animoq; lætor, nec rigant lachrymæ genas.
Verùm agite iuuenes, incipite tandem, proci,
Certamen arcus, præmium coniux erit,
Cui nulla penè terra producit parem.
Vos noſtis ipſi, laude quid matrem efferam?
Sed & ipſe priùs experiar hunc arcum patris.
Quem ſi reflectā, nemo mihi matrē auferet.
O me impotentem! ſed mihi non dum vſu
Creuiſſe vires, vos quibus robur viget

Tentate, quam a palma victorem manet?
Ant. *Ergo agite ſocij, tuq́; dextrorſu incipe,*
Piſander. Piſ. *heu me, quis Deus, tam ferreũ*
Lunabit arcum? nemo quem mortalium
Curuabit vnquã. Ant. *quæ tibi vox excidit*
Piſander? ergo quia tibi robur deeſt,
Hunc nemo flectet? at aliquis te fortior
Sinuabit. agedum, capiat Eurydamas locũ.
Eury. *Quis iſte mẽbris torpor inſedit meis?*
Haud ipſe tendam. Ant. *quid noui hoc monſtri putem?*
Tu Polybe tenta. Poly. *qui malum, flecti nequit*
Frangatur arcus. Ant. *tentet Euryades.* Eur. *locum*
Accipiat alter, nam mihi vires labant.
Ant. *Cteſippe.* Cte. *nec Cteſippus huic par eſt malo.*
Ant. *Liocrite experire.* Lio. *quis nobis Deus,*
Aut faſcinator, tantulum inuidit decus?
Ant. *Vt flectat arcum nemo? figendi ſcopum*
Quæ ſpes relicta eſt? pergat Agelaus tamen.
Age. *Diſpereat arcus iſte cum pharetrâ, precor,*
Dedecore qui me, quiq; vos tanto afficit.
Ant. *Agite iuuenes Elate, Liode, inclyta,*
Eurynome, Demoptoleme, & Amphimedon, proci.
Quid hoc ſit? hano. Amphinome, tu labem elue.
Amp. *Quis eluet nos Oceanus? equidem mori*
Minus eſſe, quàm ſic decidere tantâ, reor.
Ant. *Eurymache, iam te, meq́; ſors manet vltima.*
Eur. *Quanquam iſta me iactura connubij mouet,*
Quem non moueret? cùm tamen tot fœminas
Producat Ithaca nobiles, non tam dolet
Res iſta, quàm quód tanta, tot iuuenum cohors,
Viribus Vliſſi tam ſumus longé impares.
Delebit iſtam nulla poſteritas notam.

Proci arcum experiuntur, ſed omnes fruſtrá.

Ant

Ant Eurymache, ſecus eſt. ecce iam, memini, alias
Eſt hic Dianæ feſtus, & feſto die,
Quis tendere arcum ſperet, inuita Dea?
Arcum proinde ponite libenter, proci,
Pingues Dianæ victimas, & Apollini
Mactemus, & cùm prima lux referet diem,
Certamen animis manè repetatur nouis.
Vly. Magnanima Procerum turma, cras vobis Deus
Fortaſſe robur addet; interea mihi
Arcum experiri liceat, & vires meas
Tentare, ſi quid priſtini membris adhuc
Maneat vigoris, longus an labor hauſerit.
Ant. Miſer erro, quis te tantus inſtigat furor?
Parúmne ducis, quòd cibos vrà capis,
Et noſtra captas colloquia? libuit quoque
Arcum experiri? tu dapes ventri ingere.
Pen. Haud te decuit, Antinoe, Telemachi hoſpitem
Violare verbis, qui meam ſubijt domum.
An metuis, hic ne, me ſibi vxorem auferat,
Si tendat arcum? ne metue, nunquam auferet.
Eu. Non id veremur, Diua, nec certè decet.
Illud timemus, iſte ne ſi viribus
Incuruet arcum, quiſq; nos probris petat,
Et narret aliquis, mollis ô iuuenum globus!
Quem non iuuentus tanta, pubeſq; inclyta,
Inflectere arcum valuit, hunc hoſpes ſenex
Facilè tetendit; iſte nos angit metus.
Pen. Eurymache, non eſt vt mali, in populo bonam
Famam aſſequantur, quotquot alienam domum
Epulando perdunt. & tamen qui ſpernitur,
Se gloriatur regia ſtirpe editum;
Nec forma prohibet credere, ſed arcum date

Hoſpes

Hoſpes periclum faciat; hoc illi decus
Apollo ſi præſtiterit, vt fortem miſer
Intẽdat arcũ, munus huic chlamydẽ optimã,
Iaculum, machæram, calceos, veſtes dabo,
Et ad paternos, cùm volet, mittam lares.
Tel. *Veneranda genitrix, nemo me iuuenum aptior*
Arcum negare, cui lubet, vel cui dare.
Quis enim prohibeat, ſi velim hunc ferre Hoſpiti?
Sed, chara, tu conſcende iam thalamum tuum,
Curæq; tibi ſint tela, famulæq;, & colus;
Et iſta nobis mitte, præſertim mihi,
Huius poteſtas quem penes ſumma eſt domus.

Telemachus. Antinous. Vlyſſes. Eurymachus. Piſander. Agelaus.

EVmæe, pharetram defer arcũq; Hoſpiti.
Ant. *Subulce, quò tu vadis? ignaue ſerui*
Si tradis arcum, te ſtatim comedent canes.
Vly. *Si iam ſonaret, Antinoë, bellis tuba,*
Mihiq; galea, gladius, & ſcutum forent,
In fronte prima, maximos inter Duces,
Pugnas cientem cerneres; nec me probro
Iſto notares: iurgio iam me petis,
Quòd inter iſtos altius caput efferas.
At ſi rediret protinus Vlyſſes tibi,
Quanquam patentes, quàm forent arctæ fores,
Fugam paranti pedibus hinc ſubito rapi,
Quam veſte malles aureà ſplendeſcere.
Eur. *An impudenter obloqui pergis miſer?*
Arceſſere tibi grande feſtinas malum.
Aut tibi grauatur ebrium vino caput,
Aut iſta mens perpetua mendico ſeni
Ineſt, procaci ſemper vt linguà obſtrepas.

Si nunc rediret ille quem memo as ſtatim,
Vnuſq; multos pellere auderet domo,
Suis referret gaudium reduus breue.

Tel. *Quin tradis arcum Eumae? quid ceſſas? age,*
Aut te lapidibus obruam, quanquam minor,
Et rus remittam fuſtibus. quód ſi procos,
Superare poſſem tam facilé, quã te, breui,
Noſtrâ ſuperbos pellerem audacter domo.

Traditur arcus Vliſſi qui eum vndiq; attrectat, cornuaq; inſpicit, ne ſe abſente a vermibus corroſa fuerint.

Piſ. *Mirator hic eſt, aut faber certé arcuum.*
An ipſe talem iam domi liquit ſuâ?
An fabricari forté iam ſimilem cupit?
Vt ecce manibus hinc & hinc arcum librat?

Age. *Vtinam quidem rogando ſic valeat miſer,*
Vt poſſit arcum flectere tamen ſtrenuus.

An. *Diſperdat aliquis improbum erronem Deus.*
Vnde iſte nobis vênit? atqui vtinã priùs
Alibi periſſet, quam domum hanc tetigit gradu.
Plus iam quietis eſſet, & rixæ minus.
Quas erro nobis iam diu turbas dedit?
Dehinc voluptas nulla nos capiet dapum,
Quòd iſte nobis dedecus tantum intulit.
Sed eamus, & remedia curemus malo.

Vlyſſes facile arcum tendit, nervũq; pulſat reſonantem, ſagittamq; impellit, procis obſtupeſcentibus, aliiſq; alios reſpicientibus.

Exeunt Proci in conclaue.

Vlyſſes. Eumæus.
Philætius. Telemachus.

A*Rcum vides, Telemache, flectendo, diu*
Haud ſum moratus, robur antiquum meis
Supereſt lacertis. iamq; nos tempus monet
His me duobus prodere, vt conuênimus.

Eumæe, tuq́; præpoſite gregibus boum,
Dicamné vobis neſcio, an ſileam magis.
Hortatur animus eloqui, & certé eloquar.
Si nunc Vlyſſem ſiſteret vobis Deus,
Et morte cuperet afficere meritá procos,
Vtri velitis eſſe vos parti bene?
Quid ſuadet animus? Eu. *Iuppiter nobis pater*
Tot ſupplicantum vota, tot firmet preces,
Vt ille redeat; ſi Deus reducem daret,
Scires profectó quid mea valeant manus.
Phi. *Vnum Deos precabor, vt vitâ priús*
Quàm migro, dominum liceat his oculis mihi
Videre dulcem, quo ſemel viſo ſtatim
Mori iuuaret. Vly. *ecce iam vêni domum,*
Viceſſimo anno poſt tot ærumnas graues
Patriam reuerſus. vtq́; res conſtet magis,
Fidem cicatrix faciat hæc vobis, genu
Quam noſtis olim iuuenis ex apro tuli,
Manũ admouete. Tel. *tollite morã credere.*
Ipſe ex Mineruâ tum quidem noui patrem
Eumæe, primum cum tuam peteret domum.
Eu. *Patriũne tandẽ, Domine, tetigiſti ſolũ?*
Tandemné rediiſti Domine chariſſime?
Herumné video? liceat aſpectu tuo
Oculos meos ſaturare, liceat iam ſinum
Implere lachrymis. Ph. *magne regnator Deûm,*
Iam fateor eſſe, fateor in cælo Deos,
Poſtquám iſte rediit, da tuã dextrã oſculer,
Sine colla premere; verba quæ iam ſint ſatis?
Eheu, Domine, tandemné veniſti domum?
Vly. *Fidiſſimum par, flentibus nobis, iubar*
Sol condat vndis; iamq́; pugnanai dies

Non

Non lachrymandi poſtulat veſtras manus.
Perimere nobis ſi Deus dederit procos,
Coniugia vobis, & domum, & fundos dabo,
Socijq; poſthàc eritis, & fratres mihi.
Silentium, captiſq; præſtetur fides.
Et en procorum tota proceſsit cohors;
At nos ſeorſim tecta repetamus gradu.

Antinous. Amphinomus.
Theoclymenus. Melanthius.

QVod ſæpe fruſtra facinus exorſi ſumus,
Id iam neceſſe eſt perficere nobis, proci.
Quicquid iubet neceſsitas, ſceleri eximas.
Quantâ videtis labe reſperſi ſumus,
En, abluamus ſanguine hanc infamiam.
Aliquâ inferamus arte Telemacho necem;
Caput petamus, quo quidem ſaluo, boni
Speremus aliquid? mente iam validâ ſapit,
Populumq; vereor, ne breui in nos concitet.
Proin vel in agro, vel domi mortem oppetat.
Nos diſtrahamus quicquid hîc ſupereſt opũ,
Matriq; dotem tribuat is, cui nupſerit.
Sin iſta vobis diſplicet ſententia,
Hoſtemq; potiùs viuere velitis, quid hîc
Moramur vltrà? quiſq; quin capto abſtinet,
Aliamq; tandem quærit vxorem ſibi?
Am. *Antinoe, nō hæc ratio mihi cædis placet.*
Extinguere graue eſt regiam ſtirpem ſcelus,
Quod ſæpe facinus numen auertit Deûm.
Namq; ille quoties, maximo miraculo,
Noſtros, periclo ereptus, effugit dolos?
Proinde nemo, me quidem viuo, ac ſolum

Spectante,

Spectante, ſæuas afferet iuueni manus.
Quoties Vlyſſes me pater genibus ſuis
Adhibuit olim, & paruulum pauit cibo?
Ant. Amphinome, nũq̃ mortuus bellũ gerit,
Am. At cauſa belli mortuus diri fuit,
Manes rebellant, & cinis furias habet.
Ant. Quiſquamne ſanus viuere inimicum volet?
Am. Periiſſe cupio, cauſa perimendi haud placet.
Ant. Omnis inimicum cauſa perdendi bona eſt.
Am. Poſuiſſe potiùs odia nobis proderit.
Ant. Eat ira pueris, odia perdurent viris.
Iucunditates odia mellitas habent;,
Odiſſe dulce eſt. Amp. ſæpe laus ingens tamen,
Parcere inimico, maximis ducibus fuit.
Ant. Inanis illa eſt, ſæuaq; miſericordia.
Qui parcit hoſti, prodigus vitæ ſuæ eſt.
Mollire fruſtra tentat, implacabilem,
Trucemq; ſemper, cui dolet, meminit, furit,
Iramq; triſtem tempori ſeruat ſuo.
Semel hoſtis, animum ſemper hoſtilem gerit.
Semel inimicum, ſemper inimicum puta.
Magna odia frangi forſan, haud flecti queant.
Amp. Iuuenilis ira prorruit primo impetu,
Sed languet eadem facilè, nec durat diu.
Ant. Amphinome, quæſo ſit minor nobis pudor
Nos inter, & quod ipſa res eſt, eloqui
Fas ſit palàm; nos ille, nos illum odimus,
Vtrinq; metus, vtrinq; ſuſpitio, minæ,
Vtrinq; fraudes, multa perpetrauimus
Grauiora, quàm quæ ferre vel quiſq̃ queat
Inulta, nedum fortis ac vafri patris
Germana proles Telemachus. ergo obruat

Ruina flammas. per ſcelus, tutum eſt iter
Sceleri, nocetq; ſæpe nequitiæ modus.
Vbi magna veniæ noxa tranſiuit modum,
Nec pænitendi, nec remittendi eſt locus,
Vtrumq; timidi eſt velle. Telemachũ dolor,
Nos incitare debet admiſſi pudor.
Reum eſſe, grandes in odium ſtimulos habet.
Quin iſtua ipſum quod nimis ſæuum putas,
Fortaſſe nobis ipſe Telemachus parat.
Aequiſſimum eſt inferre, cum timeas, malũ.
Proinde vires antequam firmet ſuas,
Prematur vltrò, ne quieſcentes premat.
Et hinc, & illinc, facinus in medio loco,
Poſitum occupanti eſt. aut pati, aut facere improbè
Quoties neceſſe eſt, né patere, facias ſcelus.
Theo. *Miſeri, quis animos abſtulit vobis Deus?*
Heu quanta noctis proxima cerno mala?
Quanta ſubituri? parietes tabo fluunt,
Madent cruore tigna, laxatus ſpecu
Immugit Erebus, gemuit ex imo ſolum,
Et ambulantum turba compleuit domum.
Idola buſtis eruta, fores obſident,
Vlulantq; manes, atra nox condit diem.
Heu fugite, miſeri, fugite tam vaſtum malum.
Ant *Hunc pulſet aliquis, quis Theoclymeno furor*
Abripuit animum? vade, vel mittam foras.
I vaticinium filijs narra tuis,
Similia ſunt hæc ſomnijs, quæ iam refers.
Theo. *Non te rogaui Antinoe, mihi comites viæ*
Præſtare, cùm ſint & pedes ambo mihi,
Oculiq;, & aures, menſq; præſertim dolo,
Haud inquinata, ducibus his ibo foras

Liben-

Libenter. ecce rabidus, atque irâ furens
Rediji Vlyſſes, rediji, & dicta omnia
Et facta vidit. cæna vobis ultima
Inſtruitur. eheu, quanta ſtrages ingruit?
Quam cerno cladem? nemo quam veſtrûm queat
Vitare, quotquot ſcelera patraſtis domi
Abſente domino. dicta firmabit fides. — Exit in urbem.

Ant. *Valeat propheta ſtultus. at, Socij, ſtatim*
Epulas paremus, & quidem tantò magis
Indulgeamus dapibus, & vino optimo
Has diluamus noctis horrendæ minas.
Cænam, Melanthi, quæſo magnificam pares,
Vt hunc refellat lætitia vatem noua.

Mel. *At ipſe vobis ſuadeo, Proceres, niſi*
Vel exulare, vel mori, & tantis iubet
Bonis carere ſemper, ineatur citó
Omnis necandi cauta Telemachum via,
In cuius obitu veſtra conſiſtit ſalus.
Ne forſan ille, milites cogat Pylo,
Ephyramué mittat, inde præuertens petat
Venena, quæ mox miſceat veſtris cibis.

Chorus.

CVncta in peius collapſa ruunt;
Generi humano lux poſterior,
Eſt deterior ſemper, eritq́.
Herbané ſolitos effœta negat
Succos? an vis frugibus illa
Aruit, olim quæ pauit auos?
An ſua perdit quemq́ libido?
Quæ nunc profert corpora tellus?

Quib

Quò vis patrum, priſcaq; virtus,
Natis abijt? nuſquam Alcides,
Nuſquam Theſeus sociũ inueniat.
Quis iam antiquo robore præſtat?
Nec iam fortes fortibus extant;
Ecce columbas genuere aquilæ.
Noſtra iuuentus turpiter omnis
Arcui Vlyſſis ſubſtitit impar,
Quem tamen olim flexere patres.
Dura parentum protulit ætas
Iuuenes molles, moxq; daturos
Orbi ſobolem magis imbellem.

ACTVS QVINTVS.

Vlyſſes.

TElemache, rebus voſq; par fidum meis,
Voces faceſſat, opera cùm poſcit manus.
Nunc manibus opus eſt, & animis; multi, ſcio;
Sed arma iuſſu cuncta Telemachus meo
Subduxit, vt vix pugio maneat procis.
Clauſi tenentur, parietes ſolido fugam
Saxo rigentes obſtruunt, portas ſeræ
Cohibent, & omnes vndiq; occluſæ fores.
Vt nemo iam me viuus inuito exeat.
Plagis tenetur præda diſpoſitis mea,
Quas nulla tam proterua perrumpat fera.
Eumae, tu iam limen occluſum tene,
Quà pateat hortus; tuq; poſtici vias
Serua, Philæti; noſtra ſit cuſtodia
Conclauis aditus iſte, quà tritum eſt iter.

Primùm ſagittis deſuper miſſis, procos
Figemus; iſte tympanum pulſet foris,
Ne clamor ædes penetret, aut vrbem excitet.
Vobis canorum lituus vbi ſignum dabit,
Foribus reuulſis irruite iuncto impetu;
Clauſos, inermes, ſaucios, dabimus neci.
Minerua tantis faueat incœptis precor.

Illi dum aſcendunt, interim perſonat intus Symphonia.

Vlyſſes.	Piſander.	Eurymachus.
Pro. turba.	Polybus.	Cteſippus.
Liocritus.	Agelaus.	Amphinomus.
Phemius.	Telemachus.	Medon.

Q*Væ modó ſagitta manibus emiſſa eſt meis,*
Innocua fuit, ac ludicra. ſed aliam paro
Metam ferire, nemo quam priús attigit.
Apollo tantúm faueat, & dextram regat. *Sagittam emittit.*
Piſà. *Heu triſte facinus! quis, malúm, es tu qui viros*
Arcu impetendo perdis, in conuiuio?
An ſic iocari libuit? actutum tibi
Parata mors eſt. principem nempe omnium
Iuuenum necaſti, quotquot hæc parit inſula;
Proinde mox te vultures eſcam ferent.
Vly. *Non me putaſtis improbi Troiâ canes*
Eſſe rediturum, quòd diu noſtrã domum
Vexaſtis, & me coniugem viuo meam
Optaſtis, ancillisq; violenter meis
Stupra intuliſtis, totq; Telemachum dolis
Petiiſtis, hæc diſtrahere voluiſtis bona,
Sceptrumq; ſtirpi rapere tentaſtis meæ?
Non vos Deûm religio, non hominum pudor,

Frænare potuit, non mei reditus timor?
Impune tot abitura ſperaſtis mala?
Proinde vobis merita pernities adeſt.
Eur. *Si certè Vlyſſes ipſe rediſti domum,*
Hæc vera fateor cuncta, quæ memoras, procos
Patraſſe ſcelera. ſed caput ſcelerum iacet
Antinous. illi namq; bibituro, tua
Iugulum ſagitta fixit. haud ſociam tori
Tam concupiuit ille, quàm regnum ambijt.
Is fraude primùm traxit huc vnus procos;
Sit vnus ille quæſo iam pœna ſatis;
Patriæ pater, tu parce tot Procerum gregi,
Floriq; tanto parce Nobilibus tuis,
Et parce patribus. pectoris tanti virum
Et hoc decebit, ſtatuere dolori modum,
Et poſſe mentis regere commotæ impetum.
Eat ad triumphos gloria hæc ingens tuos.
En tibi viritim, quicquid hic dapibus datũ eſt
Penſabimus. numiq; prægrandem inſuper
Vim conferemus; tu ſtatue pretium malis.
Vly. *Eurymache, non ſi quiſq; contulerit bona*
Quæ ſunt paterna, quæq; erunt vnquam ſua,
A ſtrage noſtras temperem veſtrâ manus.
Hoſtinè tu conſtituis irato modum?
Ecquem ira teneat noſtra, violati tori,
Regniq; rabies? iam furere par eſt magis.
Si poſſet vnà cæde ſaturari dolor,
Nullam petiſſet. vtq; tot iuuenes cadant,
Non iſte numerus ſcelera tot penſet tamen.
Vnum iuuat, quòd nemo vitabit malum.
Proco. *Eheu perimus.* Poly. *aliquis effringat fores.*
Ctes. *Eheu tenemur, exitum claudunt ſeræ.*

Lioc. *Menſas ſagittis obijcite* Pro. *tranſfigimur,*
Arma, arma, Ciues; arma quis miſeris dabit?
Age. *Licetné iam iam pauca morituro eloqui?*
Vly. *Telemache, liceat; ne gradere praeceps dolor,*
Subſiſte paulùm, temporis ſupereſt ſatis.
Nox vna thalamos iſta firmabit meos.
Age. *Dux magne Danaûm, quæ tibi laus hæc erit*
Iuuenes inermes flebili letho dare?
En inſtar ouium, caula quas tenet, à lupis
Laniamur. at nos tela capiamus ſimul.
Pugnando liceat cadere, mors ſaltem viris
Honeſta veniat. more iam pecudum, inclyta
Morimur iuuentus, nil ego pro me loquor,
Pectore ſagittâ fixus, & morti imminens,
Quin perage facinus, perage, crudelis, tuum,
Quod nulla taceat, nulla poſteritas probet,
Quod eſſe credat cuncta poſteritas tuum,
Nocturne ſemper miles, & fraudum artifex.
Vly. *Agelae, quæ laus alia ſperari a malis,*
Quàm quæ expetendis profluere pœnis ſolet?
Omnis necandi iuſta latronem via eſt,
Nec honeſta vitæ conuenit mors improbæ.
Pro. *Eheu perimus, occidimus, eheu malum!*
Am. *Præclare Vlyſſe, quæſo ſis æquus mihi.*
Quis me patrati ſceleris, aut ſtupri arguat?
Quin autor alijs, multa ne facerent fui,
Quos arcus omnes penè transfixit tuus.
Memoria Niſi quæſo tibi ſubeat patris,
Meritiq; noſtri nuper, atq; animi tui
In me benigni, ſiſte vindictæ impetum.
Hos moriar inter, nullius culpæ reus?
Nullumne rectè præmium meritis erit?

Vly. *Vtcunq; multi, Amphinome, te ſceleris putem*
Eſſe innocentem, non mihi probabis tamen,
Optaſſe reditum te meum, vt votis putem,
Nec ambiſſe coniugem toties meam.
Tu carpere vuas vite voluiſti meâ,
Tu liberos vxore voluiſti meâ
Tibi procreare, ſocia tibi placuit mea.
Proinde morere, Amphinome, nec enim te decet
In morte ſocios deſerere, morere improbe.
Pro. *Eheu perimus, occidimus, eheu malum!*
Phe. *Oro miſerere Dux Cephalênum mei.*
Certé dolebit pectori poſthac tuo,
Promiſcuâ ſi clade cantorem auferas;
Quem ſine magiſtro docuit omnigenos Deus
Accinere cantus, Diſq; Ducibuſq; inclytis.
Tu parce ſacris, vt tibi tanquam Deo,
Cantare poſſim. Telemachus etiam tibi
Narrabit, vt me nullius menſæ indigum,
Coëgerint tot canere nolentem proci.
Tel. *Magnanime genitor, contine quæſo manus.*
Haud vulnerari Phemium certé decet,
Nec enim Medonta, cui puer charus fui,
Niſi forſan ille iam miſer fixus iacet.
Me. *Ego viuo, Domine, perge miſereri precor.*
Trepidus ſub iſtâ ſede delitui hactenus,
Tu reprime patrem quæſo, ne mortem inferat.
Vly. *Confidite viri, quando Telemacho meo*
Sic placuit, at vos filio acceptam date
Vterq; vitam, vt cuncta poſteritas ſciat,
Bonos manere gratiam, pœnam malos.
Sed iam ſagittis, Telemache, ſatis eſt datum,
Tandem irruamus. Tel. *tympanum interea ſtrepat,*

Et ipſe litui ſigna promiſſi dabo.

Vly. *Sator Deorúm Iuppiter & hominum parens,*
Et tu Minerua, voſq; Cælicolûm cohors,
Veſtras ad aras victima crebra cadent,
Quód vltus hoſtes, regna iam videam mea.
Sic ille ducat, quiſquis alienam, viro
Viuente ſociam tentat. ô ſpectaculum!
O nuptialis thalamus! o ſponſi inclyti!
Iuuat videre ſanguine aſperſas dapes,
Sanie fluentes aſpicere menſas iuuat.
At te, Melanthi, dira quæ rabies tulit,
Quæ ingratitudo tanta veſanum impulit,
Vt tot in herilem ſcelera ſuſciperes domum?
An iſta letho ſimplici penſes mala?
Moriné ſatis eſt? hunc tibi, cuſtos haræ,
Trado cruciandum, labra, nareſq; improbo
Aureſq; trunca, membraq; immanis viri
Epulanda canibus proijce, & pellem oſſibus
Reuelle nudis; deniq; hanc ſontem egerat
Animam, per omnes tortus irarum vias.
At tu, Philæti, duodecim ancillas, proci
Quas inquinârunt, ad trabem ſuſpendito.
Euryclea monitu ſepoſuit omnes meo.
Mollem ſubinde Phemius pulſet lyram,
Novamq; ſimulet tota lætitiã domus,
Ne minima cædis ſuſpitio in vrbem exeat.
Nos inferamus, iam meis thalamis, gradum.

Signo dato deſcendunt, & poſtico cõclaue ingrediuntur, rẽq; gladijs comminus gerũt, ingenti cum tumultu, & ſtrepente tympano, vt decoro inſeruiatur.

Peractâ cæde, fores ſtragemq; pandunt, iacentibus, transfixiſq; procis, & ora manuſq; ſanguine reſperſis, euerſâ ac cruentatâ menſâ, gladijſq; ſanguine ſtillantibus, Melanthium vinctum educunt.

Medon, Phemius.

QVám pené ſtygij vidimus regni domos
Terpiada Phemi, quàm propé abfuimus nece

Vterq́; triſtis cythara tibi, pietas mihi,
Vtriq́; vitam Telemachus almam dedit.
Pares periculum, pares fecit ſalus.
Si ſteterit animus, lingua ſi fundat ſonum,
Si non imago cædis in vultu tibi
Hærentis, illum pectoris ſacrum tui
Gelido calorem penitus extinxit metu,
Iam quæſo carmen prome, cultum, nobile,
Altaq́; teſtem mentis, & grata ſimul.

Hymnus Phemii.

Phe. *Quò Muſa, quò me, Diua, rapis tui*
Plenum furoris? quid meditor noui?
Nil ecce iam mortale canto,
Nil humili populare plectro.
Quos in receſſus? quod trahor in nemus?
Quà voce Phœbum, queis fidibus canam?
Herbiſq; Phœbum præpotentem,
Et cytherâ iaculoq; clarum.
Plutonis aulam quàm propè viderem,
Et nigra toruæ regna Proſerpinæ?
Ni Phœbus inſtantes ſagittas
Dulichij repuliſſet arcus.
Latöe ſalue, Mercurialium
Cuſtos virorum; dic age nobilem
Teſtudo cantum grata menſis,
Grata Deis ſuperis, & imis.
Tu ſiſtis amnes, tu cohibes feras,
Tu ſaxa flectis, te duce, Cerberum
Demulſit Orpheus, & tremenda
Euridycen reuocauit Orco.

Quod ſpiro, totum muneris eſt tui;
Tu nomen ingens, tu mihi ſpiritum
Das entheum, per te ſalutor
Argolica fidicen Thalia.
Med. *Illuſtre Phemi, carmē, & dulcis lyra!*
Sed en puellas efferunt ſuſpendio,
Leuemus oculos tam graui ſpectaculo. Exeunt in aulam.

Philætius. Melantho.

Philætius cum duobus famulis, Melanth: collo reuinctam laqueo, efferre.

At te, Melantho, decuit hāc cladē priùs
Caniſſe, nec te ſcelere, nec caſtā domū
Maculaſſe probro. clauſa iam veniæ eſt via,
Et ſera veniunt vota, cùm premit vltio.
Tu prima ſcelere, pœna te primam manet;
Gradu ſequentur vndecem reliquæ ſuo.
Mel. *Breuis, Philæti, quæſo præſtetur mora,*
Dum miſera luctum ſatio, dum fatū vltimis
Durum querelis onero. Phi. *miſereri tui*
Vtinam liceret; quod licet, detur mora
Tempuſq; lachrymis, minuitur fletu malum.
Mel. *O morte peius peſſimi lethi genus!*
Infamis animam laqueus elidet meam?
An hoc monile miſit Eurymachus mihi?
Hic nuptiarũ nodus? ô formæ malum!
Et ô iuuentus cæca! proh Venus impudens,
Et tu Cupido ſæue! vos tantam mihi
Cladem intuliſtis. quid tamen vos execror?
Mea me libido, me furor meus impulit.
Sua quemq; perdunt vitia, moreſq; improbi.
Vt vmbra corpus, pœna comitatur ſcelus.
En quid, Melātho, Eurymacho, ſtipēdii tuli!

Eheu Melãtho. Eurymache, tibi pendet, tua.
Seruate Zonã virgines, nemo ſemel
Reparet ſolutam, nemo penſabit malum.
Nobis, puellæ, ſtare proh quanti ſolet
Breuis voluptas, miſera, deteſtabilis?
Non ſtat libido quo ſemel cœpit loco,
Sed incitata, proruit præceps Venus,
Semperq; creſcit. Phi. *non habet finem dolor,*
Abrumpe queſtus. Mel. *parua iam reſtat mora,*
Anima ſupremam lingua dum vocem efferat.
Animula, quæ mox dulcis inuiſes loca,
Pallidula, tremula, nudula? haud poſthac dabis
Vt ante ludos, vagula, petulans, blandula,
Non veſte molli geſties, non tu dapes
Guſtabis ore, dulce non vinum bibes;
Furtiua nullus oſcula Eurymachus dabit;
Non cythera ſomnum ducet, ad ſtrepitum lyræ
Non læta ſalies. hoſpes æternúm vale,
Comeſq; fida. Phi. *nullus eſt flendi modus;*
Abripite, ſors hac & alias manet vndecim.

Euryclea. Penelope.

REgina, gaude ſemper, ac mecum veni,
Tuis vt oculis inclytum videas virum,
Quem tibi tot annos aſpicere votum fuit.
Rediyt Vlyſſes poſt tot errores domum,
Domina, profectò vir tuus vênit domum.
Pen. *Quis te repentè reddidit ſtolidam Deus*
Euryclea Nutrix, cum priùs ſaperes tamen?
Dij facilè ſtultum facere de ſano valent,
Iidemq; ſanum facere de ſtulto ſolent.

Tibi læſa mens eſt. quid animum luctu meum
Iſta memorando affligis? è dulci inſuper
Somno excitaſti; blandior nunquam meis
Obrepſit oculis, tempore ex illo, meus
Quo Troiam Vlyſſes abijt; impune altera
Nunquam tuliſſet famula; ſed veniam tibi
Senecta, pariter & fides nota impetrant.
Eury. *Nec, Domina, te iam fallo, nec lædo lubens,*
Sed uera narro, vir redijt inquam tuus.
Et Hoſpes ipſe eſt, quem putes minimè omnium.
Telemachus ipſe iam diu nouit patrem,
Prudenſq; tacuit hactenus, donec malos
Omnes ſimul mactaſſet in cænâ procos,
Qui iam per aulam mortui paſſim iacent.
Pen. *Vnde iſta noſti?* Eur. *Telemachus author mihi eſt.*
Pen. *Telemachus vnde?* Eur. *fortis adiuuit patrem.*
Pen. *Hos aliquis intus forſan afflixit Deus,*
Noſtri miſertus. ſed mihi, nutrix, age
Iam quæſo narra (mitte nunc eia iocos)
Redijtne Vlyſſes? gratus eſt certè mihi
Quem dicis Hoſpes, non tamen credo virum;
Ithacâ iacere quem procul miſerum reor.
Eur. *Ah cur maritum ſemper extinctum putas?*
At ille viuit, & ſuâ regnat domo,
Coramq; iam mox aderit, vbi dextram abluit.
Atq; ecce, ſignum iam tibi certum dabo.
Iuſſu lauarem cùm pedes illi tuo,
Manibus cicatrix nota tractata eſt meis,
Ex vulnere apri quam tulit quondam genu.
Mæſtamq; demens inter ac lætam ſimul,
Lachrymanſq; dixi, tu quidem Rex es meus,
Dominuſq; Vlyſſes, iſta te prodit nota.

At ille dextrâ fortiter iugulum premens,
Propiusq́ adhærens, Euryclea, cur me parat
Diſperdere, inquit? vberibus olim tuis
Quem nutriiſti, ſcelere iam perimes tuo?
Poſt tot labores ecce iam vêni domum,
Me quando noſti, quæſo paulisper ſile,
Ne prodar vlli; morte ſi valeam procos
Afficere, mecum ſemper habitabis domi;
Et alia retulit multa, quæ toties tibi
Domina indicaſſem, iureiurando meam
Niſi obligaſſet ille tam ſancto fidem.
Pen. *Nec credere tibi valeo, nec nō credere.*
Ergonè dulcem rurſus aſpiciam virum?
Videbo Vlyſſem? miſera mens incredula eſt.
Eur. *Si fallo, Domina, perde me letho malo,*
Me dedo morti, noxium macta caput.
Lætare, Domina, iamq́, poſt tantas moras,
Explete vota mutui aſpectus pia.
Pen. *Eamus ergo, filium vt videam meum,*
Ipſumq́ ſanè, quem meum dicis virum.
Sed chara nutrix, artubus totis tremo,
Et crucior animi, quo miſera valeam modo
Virum intueri, ſi tamen vir ſit meus.
Et ecce thalamo quis nouus greſſum intulit?

Telemachus. Penelope. Vlyſſes.

Penelope aſpectu Vlyſſis obſtupeſcit.

Nimis obſtinata mater, atq; iterum mea
Nimis obſtinata mater, a charo patre
Cur ſtas ſeorſim? quin virū amplexu petis?
Non vxor alia mente tam durâ, a viro
Abſiſteret eo, varia qui poſt tot mala,

Viceſsimo anno rediȷt ad patrios lares.
Mens eſt profectò durior ſaxo tibi.
Pen. *Attonita, fili, mens mihi ſubitò ſtupet,*
Vt nec queam ſuſpicere, nec verbum eloqui.
Si tamen Vlyſſes rediȷt hic verè meus,
Arcana præſtent indicia nobis fidem.
Vly. *Crudelis, an tu deſines tandem viro*
Poſt tanta demum ſpatia remeanti domum,
Difficilis eſſe? ſicnè venientem excipis?
Ergonê ferro iam procos ſtraui, vt procum
Agerem maritus? pone duritiem viro,
Quæ præter omnes ſemper innata eſt tibi.
Pen. *Ignoſcere quidem, quiſquis es, debes mihi.*
Nec deſpicere, nec ſuſpicere par eſt ſtatim.
Præpropera ſæpe fœminis nocuit fides.
Et caſtitati ſæpe tenduntur plagæ,
Quas præuidere mente non molli decet.
Nec diſplicere debet hoc, ſi quæ virum
Haud iam per annos bis decē vidi meum,
Totq; inſularum reſtiti Procerum gregi,
Ithacaq; pubi, non ſtatim credam hoſpiti.
Aliqua proinde ſoluat hunc nodum nota,
Quæ lateat omnes, & virum verum arguat.
Vly. *Prudenter, atq; vt decuit vxorem inclytam*
Vlyſsis; & ne longa nos teneat mora,
Quid lectus ille, quem meâ poſui manu,
Quemq; expoliui, purpurâ atq; auro illitum,
Eboreq; pictum, nemo quem mortalium
Aſpexit oculis, nos quidem præter duos,
Thalamiq; vigilem foribus ancillam Actorim,
An lectus ille ſtat ſuo firmus loco?
Parumnè produnt iſta, Penelope, virum?

Pen. *Dulciſsime vir, heu quando veniſti domum?*
Quæ lenta patrio fata te profugum ſolo,
Quæ maria tot nimboſa, qui caſus vagum
Egêre duri? teneo longo tempore
Petita votis ora? poſt multos mihi
Annos remiſſum, teneo Penelope virum?
Vtrumné votum viſa decipiunt meum?
An vera video? teneo Penelope virum?
Ignoſce, quòd te non ſtatim ac vidi, ſtatim
Demens amaui; miſera pertimui dolos,
Agnoſco Vlyſſem, iam tibi mentem trucem
Vni remitto, tu meum pectus domas.
Tel. *Dulcem libenter naufragi vt terram premũt,*
Quibus vnda miſeram fregit, & ventus ratem:
Vterq; ſic iam gaudet aſpectu inuicem,
Hic, reſtitutam quòd ſibi vxorem inclytam,
Hæc, quòd maritum poſt tot ærumnas, videt.
Vly. *Præclara coniux, ecquis eſt flendi modus?*
Ecquis loquendi? lætitia geſtit leuis,
Ingens ſtupeſcit, ſeq; non capiens, ſilet.
Libido certè, noſtra Dijs clades fuit.
Quibus ſtupori iam tamen credo ſumus,
Vt mutuâ ſpe, limen hoc æui vltimum
Attigimus, vtq; penè ſpectamur ſenes.
Sed multa menſa, multa ſeruentur toro.
Et nos procorum grauior à patribus manet
Procella, nondum nauis ad portum appulit.
Remedia nos, Telemache, meditemur malo.

Chorus.

LOngos Dulichij ter Ducis ambias
Errores pelago, ter quoq; Neſtoris

Annos

Annos prætereas, nec tamen vſpiam
Conſtanti inuenias Penelopa parem;
Tam perrara auis eſt, fœmina caſtior.
Aſt error minimus, qui nimius tamen,
Atq; ætas breuior, quàm Paridis fuit,
Infames Helena quot ſimiles dabit?
Tam vulgata auis eſt, fœmina turpior.
Ecce vnâ miſeré coniuge pro bonâ,
Effuſus iuuenum nobilis eſt cruor;
Ecce vnâ miſeré coniuge pro malâ,
Arſerunt Phrygij mœnia Pergami;
Ergo ſi noceat ſeu mala, ſeu bona,
Nos vtroq; Deus liberet à malo.
Viuet Penelopes poſt ſua funera,
Ingens perpetuo gloria nomine,
Excedetq; ſenis tempora Neſtoris;
Pluresq; inuenias Penelopa pares;
Tam vulgata auis eſt fœmina caſtior.
Sanctè iam videas viuere fœminas,
Ætaſq; abſimiles noſtra Helenæ tulit,
Quæ quondam Paridi rapta Phrygi fuit;
Tam perrara auis eſt fœmina turpior.
Extinxit rabies Dulichij Ducis,
Non vxor iuuenes optima nobiles;
Nec tam forma Helenæ, q̃ Paridis furor,
Antiquum Priami diruit Ilium.
Ergô ſi noceat nec bona, nec mala,
Nos vtroq; Deus quæſo beet bono.

Epilogus.

TER magne belli ſcriptor, & tuba Troici,
Dolor et voluptas Macedonum Regi inclyte,

Liſq;

Liſq; alta ſeptem de tuâ gente vrbibus,
Vt obſtupeſcant poſteri, tantum tibi
Studij fuiſſe, tot alijs famam dare,
Celaſſe tamen & patriam, & nomen tuum,
Qui quid ſit æquum, quid ſecùs, faſq; & nefas,
Socrate vel ipſo, penè vidiſti altiùs;
Benignitati gratias agimus tuæ,
Domui ſtruendæ cuncta quæ nobis dedit,
Lignumq;, cæmentumq;, lapideſq; optimos.
Si conueniret noſtra materiæ tuæ
Structura, facilè quemlibet lingua mala
Arceret imbrem, ſartaq; & tecta vndiq;
Quæ iam fatiſcit; nam quis æterno ſeni
Par eſſe poterit? quis ſue Mæonidæ induat
Senecæ cothurnum? non opis noſtræ fuit,
Non illa mens, non animus, hanc tantam Choro
Tentare laudem. propterea Iambi pedes
Nouo docuimus repere ſuperbos gradu,
Solitumq; faſtum ponere, & turgentia
Proijcere verba. nam tibi, Seneca, ordinem
Quis aut ſecundum ſperet, aut quis tertium?
Quem pone, longo effœta poſteritas gradu
Subſequimur, inflexoq; veneramur genu.
Sed quicquid iſtud fuerit, obtulimus quidem,
Vnius animal noctis, & vita breuis;
Candore freti, ſponte qui noſtro ſolet
Occurrere Gregi. iamq; Dulichio Duci
Domum reuerſo, iamq; Penelopæ amanti
Veſtras rogarem ſcenico plaudi ſono,
Niſi caſtitatis alia laus vina altior,
Plauſum auocaret. Ithaca nam quantum Angliæ
Honore cedit, Regibus quantum proci.

Quam

Vlyſſes Redux.

Quantumq; tædis præſtat, & caſto licet,
Sed coniugalis, vera virginitas, toro,
Anniſq; longa bis decem vitæ tenor:
Eliſa tanto noſtra Penelopen gradu
Poſt ſe relinquit. quâ nihil melius viget
Immenſo in orbe, cui nihil Titan videt
Simile, aut ſecundum, nil magis miraculũ.
Puella pollens opibus, & regno inclyto,
Præſtans iuuenta dulcis, & forma bono,
Ambita Regum precibus, & votis Ducũ,
Stipata Procerũ gregibus, & luxu aulico,
Æterna virgo vt perſtet, ipſa intactior
Sorore Phœbi? perſtitit Virgo tamen,
Nimis obſtinata. Veſta cui cedat locum
Chariteſq; ſummum, & præpotens armis Dea.
Cuius ſub vmbrâ, pacis, & vitæ otio
Perfruimur alto. iamq; quód Ludos ſimul
Spectatis, illa fecit, & faciat diu
Precamur omnes. hoc dolet tantúm, ac pudet,
Tam celſæ Homerum deêſſe virtuti, licet
Homerus illam quis ſatis digné efferat?
Huic vos Eliſa, quem decet, plauſum date.

Finis Tragœdiæ.

PROLOGVS IN RIVALES Comœdiam.

SEmel acta, rurſus fabula in Scenam redit;
Iterumne? mors eſt ergo, non Comœdia,
Bis poſita crambe. quæſo reſponſum tamen
Accipite noſtrum; quæ ſemel veré placent,
Decies placebunt; pulchra bis dici queant.
Hæc ergo pulchra eſt? abſit a noſtro procul
Iactantia Grege. ſed, quia hæc vobis ſemel
Perplacuit, ideó digna nobis denuó
Viſa eſt reponi; vos penes Scenæ optima
Cenſura vera eſt, quam reformidat Chorus,
Colitq́ꝫ noſter, et colere ſemper decet.
Et ecce, redijt illa poſt annos decem,
Vlyſsis inſtar; nam quotuſquiſq́ꝫ hic ſedet,
Qui ſciat eandem? ſed penitus eadem venit.
Minùs apparata forſan; at Comœdiam
Recitare nullam non placuit, vllam minùs,
Nouam inuenire difficile, dicam, fuit?
An noluimus? an non fuit certè otium?
An aliquid aliud? caſus, an fatum fuit?
Lucrum putate, fabula quòd hodiè exijt,
Tam prodit ægré, pene tam non prodijt.
Vtcunq́ꝫ fuerit conſulite quæſo boni;
Ridicula bis prolata, rideri ſolent.

Prologus in Hippolytum, Senecæ Tragœdiam.

ALterna caſtam ſcena Penelopen dedit;
Quæ ne ſuperbam fœminis criſtam erigat,
Hodierna caſtum fabula Hippolytum dabit,
Vt caſtitatis fama par conſtet viris.
Conuerſa res eſt; tetricus hic iuuenis, procum
Mollem agere ſpernit; Phædra Penelopæ ſubit,
Turpis pudicæ; fœmina hic ambit virum,
Nouerca priuignum; quis hoc credat ſcelus?
Minôa iactet Creta, vinumq; optimum,
Artemq; miram Dædali, & patriam Iouis,
Vrbeſq; centum, Creta dum Phædram ferat.
Tellure dirâ, tale quæ genuit nefas,
Quód tam remota eſt, gratulor noſtra Inſulæ.
Tantum proinde fœminis nemo probrum
Interpretetur, dedecus lateat ſuum.
At ſi qua forſan vellicet iuueni togam,
Quidq; hic agatur ſcire diſcupiat nimis;
Aut ille ſolers aliquid excudat noui,
Aut impudenter fabulam fictam arguat;
Parcatur iſtis, neſciant labem ſuam.
Aſperiús in quas ſi quis hic putet inuehi,
Primúm impudicas, non bonas carpi ſciat;
Deinde culpam prorſus Hippolyto imputet,
Iuueni proteruo, cælibi, duro, truci,
Qui refugit odio fœminas omnes pari,
Indomitus, & ſylueſter, & nemorum incola;
Ideoq; meritam fœminis pœnam dabit,
Diris onuſtus, raptus, ac dumis lacer.
Tragœdia ſummam eloqui, non eſt opus;
Quem Seneca veſtrûm lateat? has partes tamen,

Dedimus

Dedimus Megeræ; ſponte ſe cuncta explicant.
Attentionem quæſo præſtetis Gregi,
Saltem theatro quanta vulgari datur.

Epilogus in eundem.

VIdete quæſo, veſtra cui noſtrum freto
Humanitatis arra cõmiſit Gregem.
Huc vſq; vela dedimus, hîc terrâ procul,
Tenemur alto; lingua ſi forſan mala
Dederit procellam, quo, niſi in veſtra vſpiam
Benignitatis noſtra ſtet portu ratis?
Non hiſtrioniam didicimus, Roſcij
Neſcimus artem, Ludij nos nec ſumus,
Nec eſſe cupimus, quó magis noſtro Gregi
Debetis eſſe candidi, ſi quippiam
Peccauit arte non ſuâ, non peſſimé.
Veniam precari iuſſit obnixé Chorus;
Date quæſo veniam; venia mercedis loco
Ingentis vna ſtabit, hanc etiam dari
Vnam labori poſtulat ſtipem vltimo,
Qui ſæpe fecit fabulas vobis dari.
Sed hic habebit barbiton paries ſuum,
Hîc arma figit, hic equum ſoluit ſenem,
Artemq; caſtuſq; hic reponit ludicros.
Rogare veniam à fœminis, non eſt opus;
In quas acerbè ſi quid Hippolyto excidit,
Vindicta parta eſt; ille iam pœnas dedit
Satis ſuperq;, queîs reor & ipſæ gemant,
Magnâq; forſan parte detractum velint.
Quas ne quis vnquam ſpernere dehinc audeat,
Hippolytus ecce horribile documentum dedit;
Impune temnat nemo terreſtres Deas.
Niſi diſplicuimus, vos Gregi applauſum date.

TAcete; quid vult ſtultus hic ſtrepitus ſibi?
Quid veſter iſte plauſus, ac vanus fauor?
Indicia potiùs certa iudicij mali,
Prauiq; moris, quàm rei geſta benè.
Mordebat Aulum Marcus Albinum Cato,
Romana Græco geſta ſcripturum ſtylo,
Sic deprecantem, ſeq; purgantem ſuis,
(Homo ſum Latinus quippe, linguæq; inſcius)
Quia deprecari maluit culpam magis,
Quã non patrare; ſimiliter, veſtri Gregis
Purgationem ferre quis talem poteſt?
Non hiſtrioniam didicimus, Roſcij
Neſcimus artem. ſcilicet; nam quis Gregem
Veſtrum coegit agere? quis ſcenam dare?
Veniam ſolemus expetere, ſimul & dare,
Peccare cùm vis cogit inuitos. at hoc
Quis vos coegit facere, cui veniam ſtatim
Peteretis, ignoſciq; cuperetis ſtatim?
Non eſt modeſti petere veniam criminis,
Sed abeſſe culpâ, ſed facere munus ſuum.
Nec enim pudendo, ſed quod ingenuum decet
Faciendo, verus eſſe cenſetur pudor.
Pilâ quieſcat ludere, indoctus pilæ;
Qui neſcit hiſtrioniam, è ſcenâ exeat,
Artemq; tractet artifex omnis ſuam.
Egregia verò laus, & ingenuum decus,
Agere hiſtrionem lege famoſum optimâ.
Quid habet modeſtum ſcena, quid non impudens?
Scurrilitatis ludus, ac laſciuiæ,
Ioci officina turpis, ac petulans ſchola.
Quis ſaltat, aut quis prodit in ſcenã probus?
Præclara res eſt Mimus, & geſtum aſſequi,

Simulare vultum, ac verba, teſtari Deos,
Et ſub puella tegere iuuenem puberem.
An hiſtrionia ſubit octaua, artium
Quæ liberales eſſe dicuntur? ſed hâc
Quid arte in ipſâ præſtitum rectè fuit?
Quæ forma ſcenæ? quis ſuas partes benè
Perêgit actor? quot ſolæciſmi, manu,
Vultuq; facti? geſtus huîc nimius fuit,
Huîc nullus, illi ineptus; hunc vox extulit,
Diſtituit illum. quàm tragica nimiùm fuit
Materia turpis? quàm Seneca turget nimis?
Exaggerando quantus? & cumulus quaſi Hippolytus.
Verborum, & vtris inſtar inflati tumens,
Et Cordubenſe pinguius quiddam ſonans,
Idemq; eodem ſemper amplificans modo.
Quid ille veteri pannus aſſutus nouus?
Quàm nec colore, nec pari lanâ fuit?
Heſterna qualis exijt Comœdia?
Amata ſine riuale, Riuales, ſitis, Riuales.
Bis cocta crambe, morſq; , non Comœdia.
Quàm blanda morum lena prauorum fuit?
Parumnè vitia ſponte iam pollent ſuâ,
Niſi proſtitutis vim quoq; theatrum afferat?
Lætitia niſi prorumpat in laſciuiam?
Sub ſpecie inani carminum, & facundiæ?
Diſertiorem ſcena num quenquam dedit,
Aut doctiorem? num bonum vatem extulit?
Tragœdiæ plauſiſtis alterna quoq; Vliſſes
Niſi fortè potiùs illa ſit Comœdia, Redux.
Opima thuri præda, ſcombriſq; aridis,
Exanguis, atq; exilis, & ſerpens humi,
Affectuum tam vacua, tam neruis carens,

Vinumq; referens latice dilutum nimis,
Cui vix color maneret, aut minimus ſapor.
Cui Diua Eliſa callidè inuecta, vndiq;
Plauſum imperauit, ſibilo dignæ magis.
Mendicus Irus, dedecore Iambū afficit,
Perſona vilis; quodq; ſublimi nefas
Sūmū eſt Tragædo, Comicè riſū excitat,
Famelicus, ignauuſq;, panniſq; obſitus;
Omniq; Vlyſſes ſe nimis Scenâ ingerit,
Et inſtar vmbræ nuſquā abeſt, vſq; obſtrepit.
Illinè quod agat, qui dedit, nihil eſt ? ſuo,
Semperne veſtrum præferet dulce vtili?
Verſus Latinos quis citra natus mare,
Cum laude pangit? ſtultius nunquam inferas
Soli lucernam, guttulam vaſto æquori,
Quàm ſi camœnâ ſurere Romanâ velis.
Poëma quis mediocre vel tanti facit?
Namq; vt papauer melle cum Sardo datum,
Grataſq; craſſum vitiat vnguentum dapes,
Feſtiſq; diſcors, & ſtrepens menſis lyra,
Offendit aures, cœna quia poterat ſine his
Iucunda duci: ſic quoq; hæc ars mollior,
Animis iuuandis nata, ſi ſummo parùm
Diſceſſit, imam penitus ad terram cadit.
Huc tantus iſte ſumptus, in pauperculos
Magis elocandus, rediit? huc horæ bonæ,
Malè collocatæ? geſtui huc tempus datum?
Huc ianitorum ſudor, adituſq; obſiti,
Fractæ feneſtræ, clamor, expectatio,
Strepituſq; tantus? ecce diſperiam, niſi
Conducta placeat Scena denario magis.
Hoc placuit vnum, quod nihil Momo placet.

Vt nomen ipſe, Mome, tacuiſſes tuum,
Verba indicaſſent, & ſtyli durus tenor;
Ipſum eſſe Momum, lingua tam fœda arguit,
Et dira facies, & coma color improbus.
Ardens capilli quis domet virus tui?
Obijcere tali me queam ſpectro, Deos,
Homineſq; Naturamq; carpenti impiè,
Odioq; Dijs propterea, hominibuſq; optimis?
Semper triumphus quem fugere optimus fuit.
Quis huius oris ſpiritum effugiat grauem?
Quis placeat iſti, cui Seneca placuit minùs?
Quem nec cothurnus, nec lenis ſoccus iuuat,
Qui grande, turgens; humile, proiectum putat;
Qui turpe, lætum; ludicrum, petulans vocat.
Vulcanus, & Minerua, pelagiq; arbiter,
Operum hunc ſuorum, quiſq; cenſorem tulit.
Vulcanus Hominem fecit; opus huic diſplicet,
Quòd pectus Homini non feneſtratum foret,
Vt cogitata quæq; proſtarent palàm.
Domum Minerua ſtruxit; haud placuit Domus,
Truſatilis quòd illa non eſſet ſtatim
Varianda premeret fortè ſi vicinia.
Taurum ecce finxit Arbiter; Taurus Dei
Haud placuit iſti, ſcilicet quòd cornua
Non prominerent, vt oculis tutamina.
Ipſamq; reprehendit Artificem omnium,
Quòd capite tauris cornua, haud armis daret;
Quia maius armis, quàm capite, robur vigens,
Grauiore tauros ageret in plagam impetu.
Sic matre Nocte genitus, ac Somno patre,
Nihil ipſe præſtans, optimos carpit tamen,

Linguaq; tactu fœdat immundo omnia.
Quæ multa declamauit in Ludos probra,
Arrepta quæ congeſſit ex triuijs, licet
Ridenda potiùs, quàm refellenda æſtimem,
Grauiora paucis excutere fas ſit, tamen.
Agere hiſtrionem lege damnatum piâ eſt;
Famoſus ergo eſt, quiſquis in Scenam exijt?
Prætor negabit; Qui ſui ſpectaculum
Mercedis ergô præbet, infamis ſiet.
Non ergo quenquàm Scena, ſed quæſtus, notat.
Quis hic rogauit ſportulam, vel quis dedit?
Cui non patebant ſponte, ſine lucro fores?
At tegere iuuenem veſte muliebri, eſt nefas;
Semperne? quid ſi cogeret lethi metus
Mutare veſtem? publicum quid ſi bonum
Suaderet? id quod crebra teſtari poteſt
Hiſtoria, veſte filius Amyntæ, indui
Iuuenes muliebri dum iubet, tot fœminis
Claris pudorem ſeruat, & petulantiam
Perſis ſuperbam, cæde præclarâ, excutit.
Non ergo iuueni eſt grande ſimpliciter nefas
Mollem puellam induere; ſcelus eſt Clodio,
Non eſt Achilli; Clodius ſtuprum parat,
Vitam tuetur filius Thetidis ſuam.
Non ergo veſtis fœminea, iuueni eſt ſcelus,
Sed praua mens, libido, malitia, ac dolus,
Nec habitus vllus, ſed animus turpem facit.
Diſtincta ſexum forma diſtinctum decet;
Virile non eſt fœminæ mores ſequi,
Muliebre non eſt exequi munus viri.
Quid ſimile nobis obijcere quiſquam poteſt?
Quid cogitatum tale? quis fraudem imputet?

ff. Deijs qui notantur infamiâ l. 2. p. Ait Prætor.

Deuter. Cap. 22. Verſ. 5.

Alexander, magni Alexandri proauus.

Scurrile

Scurrile tu proferre ne verbum potes.
Libuitné defamare, quæ neſcis, palam?
Nobiſné verbo ſimplici ſtandum eſt tuo?
Si iudicas, dignoſce; ſi ſuades, proba.
Unde hæc tyrannis, Mome, permiſſa eſt tibi?
Inſcitia tibi vt impune ſit, & animi ſtupor,
Pietas putetur? crimen eſt, quicquid tibi
Diſplicuit? an tu mentem habes ſolus piam?
Maledicta textum gloſſa quæ vitiat bonum.
At grande factum eſt tēporis diſpendium;
At, Mome, non eſt; Mome mentiris, nihil
Studijs remiſſum eſt publicis. id fabulis
Tempus tributum eſt, quod ſolet tribui iocis,
Somnoq;, colloquijſq;, doctoq; otio.
Bené collocati temporis fructum, Chorus
Præſtare noſter, Mome, maiorem poteſt,
Quàm diſciplinâ quiſpiam Momi editus.
An tu poëſim deſpicere doctam audeas?
Senecamné tu recitare iacturam putes?
Cuius vel vnum, Mome, verſiculum, tibi
Præpono, ſimilibuſq; ſexcentis tui.
Cuius vel vnum ſimile carminibus, meum
Benigna carmen malo poſteritas legat,
Quàm quicquid vnquam Momus ingenio efferat.
At ſumptus ingens; at tibi gratis licet
Spectare, Mome; nemo te ſtipem rogat,
Niſi forté veniam, quam, tibi iuxta eſt graue,
Præbere vtranq;. ſumptus eſt ingens tibi,
Nobis mediocris; nemo propterea minùs
Fouebit inopes; abſq; eo, nemo magis
Leuabit. (Ad quid iſta perditio eſt, Here?)
Mala, Mome, vox eſt, eſt, vbi parcas, locus,

Suus

Suus eſt honeſto ſumptui, ſuus eſt iocis,
Ludis, choreis, ſerijs etiam eſt ſuus,
Lachrymiſq; nobis temporis ſine te, ſatis
Vtriuſq; ratio conſtat, haud Momo eſt opus.
Tu flere, vel ridere, flagitium putas?
Nos hiſtriones, hanc Domum, Circum vocas?
Tu tollis hominem ex homine? tu parte alterâ
Conſtare credis? noſtra tibi ſoli, impudens
Viſa eſt iuuentus, ingenua, caſta, elegans,
Generoſa, docta? tu Domum tantam arguis?
Academiæ tu iudicia nihili facis?
Impunè damnas? turpe ſit noſtro Gregi
Egiſſe; num ſpectaſſe, tot doctis viris
Satis eſt decorum? vtrinq; par ſurgit nefas.
Tu norma rerum, temporis, ſuptus, ioci?
An tu pudoris regula, decori artifex?
Morumne tu menſura, vitæq; arbiter?
Quæ dixit in nos alia, diluere haud placet;
Has eſſe partes arbitror veſtras, Chorus
Ad vos recurrit noſter, a vobis opem
Expectat, expoſcitq; ſuppetias malo;
Gregem tueri, muneris veſtri putat.
Nam culpa veſtri tota candoris fuit,
Quæ nos cothurno, quæq; nos ſocco induit,
Et dulce, ſi quod hinc fuit, veſtrum fuit.
Authore tali, qualis hic cœtus coit,
Peccare ſi non fas ſit, at certè licet
Redimere crimen, quicquid eſt, Scenæ grauis;
Cenſura veſtrum nulla iudicium arguat.
Proinde, diſrumpantur vt Momo ilia,
Iterum benignus vndiq; applauſus ſonet.

FINIS.